



**Quæstionum Canonicarum, In Quinque Libros
Decretalium, Tomus ...**

In Librum V. Decretalium, Per Quadraginta, Et Unum Titulos Distributum,
In quo agitur De Judicio criminali, exponendo primùm actiones in eo
judicio instituendas, & suscipiendas, ...

Schlüter, Georg

Augustæ Vindelicorum, 1709

Quæstio XII. In Titulum XII. De Homicidio Voluntario, Et Casuali.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-73064](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-73064)

de Probat. conclus. 99. Menoch. Sayrus, Salas, & complures alii, cum Barbof. p. 3. de offic. de potestate Episcopi, allegat. 51. n. 150. censent, expositos, & liberos, de quorum parentibus non constat, legitimos esse censendos, & capaces successionum, Ordinum, & dignitatum, de quibus non sunt statuta, requirentia qualitatem nobilitatis, & alia hujusmodi, quæ positive docenda sint. Ratio est, quia stante origine dubiâ, potius judicandum est pro legitimitate; secus præsumeretur delictum in dubio; & hæc opinio est satis probabilis sub facta limitatione.

Sed esto quis sequatur priorem opinio-807 nem; complures tamen censent cum ejusmodi expositis, Episcopum dispensare posse, ut ad ordines, & curata beneficia promoveantur. Licet enim Episcopi jure ordinario non possint dispensare in irregularitate; possunt tamen in casu dubio; præsertim cum lex, quæ statuit illegitimis irregularitatem, non sit in possessione, nisi ex *suppositione*, quæ dubia est; in tali autem casu interpretatio mitior fieri debet juxta dicta l. 1. de Constit. Ita Suarez, Layman loc. cit. & alii.



QUÆSTIO XII.

IN TITULUM XII. DE HOMICIDIO VOLUNTARIO, ET CASUALI.

808



Homicidium in genere, est *occisio hominis ab homine facta*, ut dicitur c. si homicidium 23. q. 5. vel clarius, est *qualibet exanimatio hominis; seu humani corporis, violenter ab homine facta*, qua anima à corpore separatur, ut ait Wesenbecius ad L. Cornel. ff. de sicariis. Dicitur *ab homine facta*. Nam si homo occidatur à bruto, non est propriè homicidium, sed vocatur *pauperies*, ut constat ex toto titulo Institut. & ff. si quadrupes pauperiem; dicitur *exanimatio hominis*, quo intelligitur *homo*, cujuscunque ætatis, conditionis, vel sexus l. 1. §. qui hominem eodem: & L. penult. C. eod. imò, & fætus adhuc in utero, si animatus sit, sub eo nomine venit.

ARTICULUS I.

Quotuplex sit homicidium.

809 **H**omicidium juxta Canonistas, in ordine ad poenas incurrendas, est duplex, unum *voluntarium*, alterum *casuale*. *Voluntarium* dicitur à Molinâ to. 4. d. 3. n. 4. quod est intentum, aut perinde reputatur, ac si esset intentum. Unde fit dupliciter 1. quando quis exequitur actionem occisivam, eo animo, & intentione, ut mors alicujus sequatur, & est *voluntarium directum*. 2. Quan-

do facit opus, quod ex sua natura ordinatur ad mortem alterius, v.g. propinat venenum lethiferum, vel infligit vulnus lethale, sed non animo occidendi. Hoc tamen perinde est, ac si intendat occidere, & dicitur *voluntarium indirectum*. Casuale dicitur ab Azorio to. 3. l. 2. c. 14. quod contingit præter intentionem agentis, aut omittentis opus aliquod, unde mors alterius consequitur, ac proinde non est intentum in se, aut in aliqua causa, ex qua solitum est accidere homicidium semper, aut frequenter quamvis ex ea raro, & in paucioribus eveniat.

Apud Legistas (*in ordine ad punitionem*) 810 homicidium unum est, quod dicitur *casu factum*, culpâ tamen interficientis præse sumptâ, ut à dolo distinguitur: alterum *dolo factum*. Homicidium casu factum est idem profus, quod casuale à nobis explicatum n. priori, & punitur arbitrio Judicis poenâ majori, vel minori, prout major, vel minor culpa juridica intervenit. Homicidium *dolo factum*, idem reputatur, atque intentum, ac scienter factum, & coincidit cum voluntario, puniturque poenâ homicidii ordinariâ; ita Molina tract. 3. d. 21. n. 1. ex l. 1. §. *Divus* ff. ad leg. Cornel. de Sicar. & l. 1. & l. cum C. eodem. tit. Idem d. 23. per totum, ubi rectè exponit *triplex homicidium voluntarium*, nempe ex proposito, ex insi-

insidiis, & proditoriè commissum. *Ex proposito* commissum dicitur, quando homicida præviâ animi deliberatione, præcedente ex intervallo occisionem, quempiam interficit. Unde non dicitur ex proposito occidere, qui obortâ rixâ antiquum adversarium animo interficiendi, atque ad eò dolo occidit, si nulla deliberatio occidendi rixam præcessit. *Ex insidiis* dicitur commissum, quando aliquis expectat alium in loco, in quo ab eo verisimiliter provideri non poterat: illumque ex improvîso venientem aggreditur, & occidit. *Proditoriè* verò commissum dicitur, quando, cum nulla esset causa rixæ inter aliquos, unus eorum interficit alterum securum, nihilque tale timentem. Hæc tria videntur collocari *sub homicidio qualificato*, scilicet qualitate affecto, quale Lessius lib. 2. c. 34. n. 187. affirmat esse factum *perficarium*, pretio conductum, quod ipso facto rollit beneficium c. 1. de homicid. in 6. de quo Alex. Conf. 166. *Qualitas* enim, in jure civili sumitur etiam pro differentiis facientibus rem certam, ac determinatam, & contrahentibus rem ad individuum: ut probat Zœsius per L. *Stipulationum quadam ff. de verborum obligatione.*

ARTICULUS II.

De homicidio voluntario, & injusto.

811 **P**otissima quæstio in hac materia, *de tali homicidio*, versatur circa poenas jure statutas homicidæ, inter quos de jure Ecclesiastico prima est *irregularitas*, quæ decernitur in homicidas voluntarios, tum propter commissam hominis eadem cum injustitia, seu injuste, quæ dicitur *irregularitas ex delicto*; tum etiam quandoque propter homicidium commissum justè, quòd imbibat ali-quod factum ex dentis, propter quod jure canonico judicatur inhabilis ad ministerium altaris.

812 Præter irregularitatem, de qua dicemus in sequentibus, aliæ quoque pænæ statutæ sunt homicidio voluntariè commissò cum injuria. Inter has prima est, quòd, si Laicus committat homicidium injustum, spectato jure excommunicandus sit c. *Itaque* 24. q. 3. ibi: *itaque censuimus, homicidas, à communione fidelium Ecclesiastica, submo-vendos.* Si autem Clericus, deponendus (non tamen communione privandus) ab ordine & officio c. *Presbyter.* dist. 81. ibi:

Presbyter, aut Diaconus; qui in homicidio captus est, deponatur; non tamen privetur c. Cum non ab homine 10. de Judic. ibi: *Clericus in quocunque ordine constitutus, in homicidio deprehensus legitime, atque convictus, ab Ecclesiastico Judice deponendus est. c. Inquisitionis,* 21. de accusat. ibi: *puta si homicidium commississet. c. sicut. §. fin. h. t.* post hanc depositionem detrudendus est ejusmodi Clericus in arctum Monasterium ad peragendam poenitentiam. c. *Tua,* de poenis; & quidem *in perpetuum. c. si Episcopus* dist. 50. ibi: *quandiu vixerit;* vel *saltem per septennium,* vel quinquennium c. *sicut. §. fin. h. t.* ubi attendi debet delictum cum circumstantiis, quibus evadit majori, vel minori poenâ dignum. Et hodie non rarò loco Monasterii, succedit carcer, & triremes.

Dices in c. *omnis* dist. 3. dicitur, ut qui ⁸¹³ *eadem fecerit, capite plectatur;* ergo etiam jure canonico poena injusti homicidii est poena mortis. *§. ibi per pœnam mortis, intelligi,* non *mortem naturalem, sed civilem,* in eo sitam, quòd per excommunicationem, velut mortuus, à communione fidelium removeri debeat; sic Farinac. in praxi crimin. n. 4. l. 4. de homicid. q. 119. n. 57. Pirhing. h. t. n. 6. Et ideò etiam, cum inc. *si quis* 1. h. t. dicitur, *si quis per injustitiam occiderit hominem proximum suum, & per insidias; ab altari meo avelles eum, ut moriatur,* idem est eo loco, ac *deponatur.* Colligitur ex c. *per venerabilem.* Qui filii legitimi. Ubi præcipitur, ut qui sententiam Sedis Apostolicæ contempserit observare, *moriatur,* quo aliud non intenditur, quàm ut *per excommunicationem,* velut mortuus à communione fidelium separaretur; ita Pirhing. h. t. n. 6. Ex hoc colliges cum Abbate in cit. c. n. 20. quòd, ubicunq; jure canonico reperitur imposita *pœna mortis,* debeat exponi, & intelligi de sententia excommunicationis, quæ est mors civilis, non formaliter, sed præsuppositivè; cum præsupponat peccatum mortale, per quod anima separatur à gratia Dei, quæ est vita animæ.

Cæterum etsi Doctores textum in c. ⁸¹⁴ *si quis* 1. h. t. multipliciter explicent, ut videri potest apud Pirhing cit. n. 8. verior sensus est, quòd, qui per industriam (hoc est, *ex proposito*) & per insidias (hoc est, *proditoriè* aggrediendo à tergo, vel alio modo improvîso) aliquem hominem occiderit, non gaudeat immunitate Ecclesiasticâ, quo minus

nus à suo Iudice sibi tradi justè peratur, & ab Ordinario loci præmissa causæ cognitione, eidem consignetur, ex Ecclesia, ut notat gloss. in cit. c. V. *insidias*, & Suarez tom. 1. de Relig. l. 3. de Reverentia debita locis sacris c. 11. n. 11. & constat ex Pirhing in 3. decret. tit. 49. n. 28. de quo expressè Gregorius XIV. in sua Constit. *cum alias nonnulli*. Ethoc procedit, sive Clericus, sive Laicus, sive occisor, aut occisus. Ex quo vides hoc procedere, non de homicidio *simplici*, sed *qualificato*. Unde sequitur, vi dicti capituli *si quis*, homicidium voluntarium, *proditorie factum*, puniri etiam poenâ privationis asyli Ecclesiastici, seu refugii ad Ecclesiam, ut ibi obtineat immunitatem à potestate Laicorum, quò minus eum licitè, ac impunè valeant ex tali loco, vi extrahere ad tribunal suum.

815 Dices in c. *Inter alia*, de immunitate Ecclesiastica, ubi excipiuntur quædam crimina, quibus negatur asylum in Ecclesia, nulla fit mentio de homicidio proditorio; ergo de illo nequit intelligi textus. c. *si quis* &c. illam exceptionem esse factam ab Innocentio 3. istam autem, à Gregorio 9. in c. *si quis*. Quare dato antecedente N. consequentiam. Dixi, *vi hujus c. si quis*. Nam ex constitutione Gregorii XIV. *Cum alias nonnulli*: quidquid jure antiquo super delictis, excludentibus ab asylo Ecclesiastico constitutum fuit; & quidquid in hac materia privilegii concessum est per ejus Antecessores Principibus laicis, etiam ad alios casus jure communi non expressos: restrictum est *ad certa duntaxat crimina*, sic, ut extra illa in dicta constitutione expressa, nulli omnino Laico Judici liceat sub gravissimis poenis, Reum ad Ecclesiam, vel Monasterium confugientem extrahere; nisi in criminibus per dictam constitutionem nominatim expressis; & hoc, ut ne quidem liceat ex gravissimis causis, etiam propter paritatem, vel identitatem, aut majoritatem rationis, extendere ad alium casum non expressum.

816 Delicta porrò excepta in dicta constitutione, sunt reducta ad unam tantum formam, & continentur in ejusdem §. 3. his verbis *hæc itaque perpetuò valitur à constitutione nostrâ, omnia ad unam tantum formam reducimur, ut Laicis, ad Ecclesias, locaque sacra, & religiosa prædicta confugientibus, si fuerint publici latrones, viarumque grassatores, qui itinera frequentata, vel publicas stra-*

tas obsident, ac viatores ex insidiis aggrediuntur, aut depopulatores agrorum; quæve homicidia, & mutilationes membrorum in ipsis Ecclesiis, earumve camiteriis committere non verentur; aut qui proditorie proximum suum occiderint; aut assassini, vel hæresis, aut læsa Majestatis in personam ipsiusmet Principis Rei, immunitas Ecclesiastica non suffragetur.

Altera poena, homicidii voluntarii, ac 817 injusti, Clericum, qui occidit hominem injuste, animo deliberato, privat omnibus beneficiis Ecclesiasticis *obtentis*, privatione ferendâ per sententiam Judicis. Ut colligitur ex c. *Clericis* §. ne Clerici, vel Monachi ibi: *Clericis in sacris ordinibus constitutis, judicium sanguinis agitare, non licet. Unde prohibemus, ne, aut per se truncationes membrorum faciant; aut judicent inferendas. Quod si quis tale quid fecerit, honore privetur, & loco, &c. ex literis.* de Excessibus prælatorum, ibi: *ipsum indignum altaris ministerio reputamus.* Et talis etiam ad talia beneficia evadit inhabilis, inhabilitate, non quidem irritante collationem illi factam; sed tantum prohibente, ut habetur in Trident. sess. 14. c. 7. Tertia est quòd homicidium voluntarium, & injustum, per L. *cum ratio*. §. *fin. ff. de bonis damnat. privet.* successione illius, quem interfecit, sive ex testamento, sive ab intestato hæreditas ejus ad ipsum deferatur.

Quarta est irregularitas, vi cujus nec 818 ordines suscipere, nec in prius susceptis ministrare potest, etiam post peractam poenitentiam; quod verum est, licet homicidium sit occultum, c. *Inquisitionis*, de accusat. junct. gloss. V. *si homicidium*. Hæc poena afficit 1. eum, qui per se ipsum, voluntariè, ac injustè alterum occidit. Nam talis maximè homicida est. 2. Eum, qui dat causam propinquam, & efficacem mortis; licet primum opereatur post aliquod tempus v. g. si quis alicui det venenum, quod primò post aliquod tempus effectum facit; coll. ex c. *de cætero* 11. h. t. *Noveris, quòd Diaconus, qui homicidio causam dedisse videtur, non videtur ad sacerdotium promovendus, & procedit, esto occisus non sit baptizatus, c. Clericum*, dist. 50. ibi: *Clericum, qui paganum occiderit, non oportet ad gradum majorem promoveri, qui carere etiam debet acquisito: homicida enim est.* Et hæc irregularitas extenditur ad vendentem venenum eo fine, ut alter perimatur, si mors reipsâ exinde sequitur.

tur. Zoësius h. t. n. 7. sic enim reverà dat causam homicidio. Si quis autem solum vulneret non lethaliter, non incurritur irregularitas, etiam secutà morte vulnerati, non ex actu vulnerantis, sed ex incuria Chirurgi; colligitur ex c. *significasti* 18. h. t. ubi dicitur, irregularem cenferi r. qui aliquem lethaliter percussit, licet ab aliis fuerit extinctus. 2. Qui percussit non lethaliter, antimo tamen occidendi, si ex aliorum vulneribus percussus expiravit. 3. In dubio, quo non constat, ex cuius vulnere percussus obierit, quando eum plures vulnerarunt.

819 Ex hoc sequitur eum, qui aliquem vulneravit lethaliter, quem alius postea occidit, jure canonico esse irregularem. Deinde, quando plures unum vulnerarunt, & non constat ex quo vulnere percussus obierit? teneri omnes se gerere irregulares in foro externo. Idem est de dubitantibus, an à se lethale vulnus fuerit inflictum, si tamen mors secuta sit. Sic etiam Barb. in cit. c. 18. n. 9. Tertio, quando plures vulnerarunt, seu vulnera infixerunt, quorum singula ex se non sunt lethalia, sed simul sumpta sufficiens causà mortis, singulos incurrere irregularitatem. Sic Bonacina de Censur. d. 7. q. 4. p. 8. n. 30. Si autem plures rixantur, & unus sit lethaliter percussus, quivis præsumitur eo casu percussor in foro externo, V. Menoch. de arbitrar. casu 302. & consil. 108. num. 8.

820 Not. præterea, quando dubitatur, an vulnus sit lethale? cognoscendum esse ex Medicorum judicio. Medicis autem non creditur ad judicandum, an vulnus sit lethale, & an vulneratus decesserit ex vulnere, vel alia causà? nisi ad minus sint duo, & in arte periti, & deponant cum juramento; si non concordent, standum esse judicio senioris; si autem in loco, ubi quis est vulneratus, tantum adest unicus Medicus, illum sufficere, nisi causà sit ardua. Dicitur autem *vulnus lethale* illud, cujus curatio, vel omnino impossibilis est, vel difficillima. Sic Barbof. in c. *significasti*, elig. 2. h. t. à n. 3. Cui autem credendum sit, si est contentio inter Medicos, & Chirurgo, resolvir Mascardus de probat. conclus. 1169. à n. 40. Ex vulnere autem facto in capite, morte secutà, præsumitur animus occidendi, ut colligitur ex cit. c. *significasti* 18. ibi: *sum ratione parvis*, in qua fuit ille percussus, *in qua de modico icu quis lethaliter solet ladi.*

Sic Barbof. in c. *Presbyterum* 7. h. t. n. 3. & si vulnus lethale fuit, mortuus præsumitur decessisse ex vulnere, etiamsi transacto triduo surrexerit ex lecto, vel primò decesserit post octo dies. Sic Barbof. in cit. c. n. 5. & in c. *continebatur* eod. n. 3.

Not. 2. Eum non cenferi homicidam, nec irregularem, cujus occasione, eo tamen prohibente, & causam non dante, committitur homicidium ab ipsius famulis, amicis, vel consanguineis. c. *Petrus* 17. h. t. ubi ad hunc casum sibi propositum, respondit Innocentius III. *Ei non debere imputari, quando contra prohibitionem ejus expressam, eo causam, vel occasionem non dante, ausu sacrilego fuit ab ipsius consanguineis attentatum*; secus foret, si contra ejus voluntatem committatur, ipso tamen rixe causam dante. Sic Barbof. in cit. c. n. 3. contra Bonac. cit. q. 4. p. 8. à n. 34. Ille tamen, qui præfens fuit tractatu habito super occidendo ejus amico, ab ejus amicis, vel famulis, & non contradixit, sed tacuit, irregularitatem incurrit. Sic Jacobus de Graffis in aureis decisionibus p. 1. l. 2. c. 64. n. 18.

Not. 3. eum, qui aliquem percussit non lethaliter, ita tamen, ut fugere non possit ob eam percussorem, ideoque postea occidatur ab aliis, non incurrere quidem pœnam ordinariam homicidii, fieri tamen irregularem, quia saltem occasionem aliquam dedit secuto homicidio; sic Abbas in c. *significasti*, elig. 2. h. t. à n. 10. excipie, nisi constet vulnus non fuisse lethale, factumque non animo occidendi, sed causà justæ defensionis cum moderamine inculpatae tutelæ, ut collig. ex cit. c. *significasti*, 18. h. t. Ille porrò, qui posterus percussit, ab alio prius lethaliter vulneratum, secutà morte irregularis est; quia licet certò moriturum occiderit, occidit tamen etiam ipse accelerando mortem. Zoësius hic n. 10. Si autem quæras, quid in hoc postremo casu dicendum, quoad pœnam ordinariam homicidii injusti? R. si secundus percussor illum occidit sine mandato, vel conventionione cum primo, & hujus percussorem fuisse lethalem, non est omnino certum, primum solum teneri *de vulnerato*: secundum autem *de occiso*. L. *Item Mela*. II. §. *Celsus* ff. ad leg. *Ayliam* Aquiliam.

Not. 4. quæstionem esse inter Auctores, an irregularitatem ex delicto contrahat, qui dabat operam rei licitæ, vel etiam illicitæ, ex qua casualiter secuta est mors altera.

alterius? plures in hoc puncto sunt canones, quorum aliqui videntur affirmare; alii negare. Nam in c. *Presbyter*. 7. h. t. dicitur, quod homicidium casuale imputetur ei, qui dabit operam rei licita, si non adhibuit diligentiam, quam debuit; idem habetur in c. *coninebatur* 8. eodem c. *ad audientiam* 12. eod. Econtra in c. *Lator*. 9. eodem dicitur: homicidium casuale, non imputari ei, qui non fuit in culpa. c. *dilectus* 13. eod. homicidium casuale non imputari ei, qui dedit operam rei licita, nec fuit in culpa. Idem habetur c. *Ex literis* 14. & 15. c. *Significasti* 16. c. *Joannes* 23. eod. sed ad hoc constabit ex dicendis à n. 836. Illud hic universim notandum, ex homicidio voluntario contrahi irregularitatem distinctam ab ea, quæ ortum habet ex casuali. Illa enim requirit intentionem expressam occidendi, seu apponendi causam de se illativam mortis, & cognitam, ut talem; & ideo requirit voluntarium ex proposito, sic Castropal. p. 6. de censur. d. 6. p. 15. §. 1. n. 1. ut colligitur ex Trid. sess. 14. c. 7.

§. 1.

De procurante abortum.

824 **A** *Bortus*, & alio nomine *Aborsus*, est ejectio foetus immaturi. Unde procurare abortum, idem est, adque studiosè quærere, sive per se, sive per alium, ut foetus immaturè ex utero matris ejiciatur. Dupliciter fieri contingit; nempe ante foetus animationem, & post, qui fuit in causa, ut foetus animatus immaturè ejiceretur, manet obnoxius poenis homicidarum, tam juris civilis, quam Canonici; qui nondum animatum ejicit, licet non committat homicidium, tamen per jus civile punitur exilio, & amissione partis bonorum, si sit honestæ conditionis: si verò humilioris, damnatur ad metallum, L. *si quis aliquid* §. *qui abortionis* ff. de poenis. Vide Dianam p. 7. tr. 5. resolut. 1. & 3.

825 Ex hac resolutione colliges, eum, qui voluntariè procurat abortum foetus animati, incurrere irregularitatem, statutam in homicidas voluntarios, & injustos; quia foetus animatus est verè homo; secus est, si foetus nondum fuit animatus c. quod verò, & c. *Moyfes* 32. q. 2. c. *sicut* 20. h. t. ubi Pontifex de hoc casu consultus, rescripsit: Nos devotioni vestræ insinuatione presentium respondemus: quòd, si nondum vivificatus conceptus, ministrare poteris; alioquin debes
Tom. V.

altaris officio abstinere. Si autem quæras, an incurrat irregularitatem ex delicto, qui procurat sterilitatem in muliere, nec concipiat? R. quod non; quia non potest dici occisor hominis, qui necesse, nec fuit.

Colliges 2. eum, qui dat causam abor- 826 tûs foetus animati, (ut si cum muliere prægnante ludat ludo noxio, ut ponitur in casu cit. c. *sicut*, vel cum ea turpiter agat, ut inde sequatur abortus) omnino irregularem esse. Et si dubium est, an foetus fuerit animatus, quoad poenam capitalem (quam jus civile statuit in procurantes abortum foetus animati, L. *si quis* §. *qui abortionis* ff. de poenis. L. *penult.* (ad legem Corneliam de Siciariis) foetus præsumitur inanimatus; secus quoad irregularitatem. Farinacius in praxi crimin. q. 112. à n. 138. & colligitur ex cit. c. *Significasti* 18. h. t. loquente de simili casu, in dubio.

Dices in c. *si aliquis* §. h. t. dicitur: si 827 quis causâ explenda libidinis, vel odii meditatione, homini, aut mulieri aliquid fecerit, vel ad potandum dederit, ut non possit generare, aut concipere, vel nasci soboles, ut homicida teneatur; sed homicida tenetur poenâ irregularitatis ex delicto; ergo etiam procurans sterilitatem. R. in cit. c. aliud non dici, quam talem, ut homicidam, hoc est instar homicida teneri, quatenus vitam hominis, ne sequeretur ex causis naturalibus, impedit, quod grave peccatum est, sicut, qui hominem interficit, impeditque, ne vita illius ulterius progrediatur. Sic Barbof. in cit. c. *si quis* n. 3. & apud eum Molina, Decianus, Farinac. &c. non tamen fieri irregularem; cum irregularitas (titulo homicidii) non contrahatur, nisi actu sequatur homicidium. Sic Navarr. in Manual. c. 27. n. 222. Tabinea, Sayrus, & alii apud Barbos cit. n. 3.

§. 2.

De mandante homicidium.

828 **I**njustè mandantem, alterum occidi, esse. In actu secuto irregularem esse, habetur c. *si quis viduam* dist. 50. ibi: *si quis homicidii, aut facti, aut præcepto, aut consilio, aut defensione, post baptismum conscius fuerit, & per aliquam subreptionem ad Clericatum venerit, dejiciatur*; & in fine vitæ suæ laicam communionem tantummodo recipiat, c. *fin.* h. t. in 6. ubi hoc etiam procedit, si quis mandavit aliquem vulnerari, licet expresse inhibeat,

Z

beat, ne occidatur ullatenus, si mandatarius eum occidit; quia mandando fuit in culpa, & eadem posse evenire cogitare debuit. Zoësius h. t. n. 11. intellige tamen juxta dicta. Unde non procedit, si mandans expressè, vel tacitè revocavit mandatum sic, ut mandatario innotuerit: si autem prævidet mandatarius adhuc pertinaciter perpetrurum, putat Zoësius cit. n. 12. adhuc fore irregularem, nisi quantum potest impediatur; sed oppositum est probabilius, quia tunc non operatur ex mandato, utpote non amplius existente. Sic Castropal. p. 6. d. 6. p. 15. §. 2. n. 2. Si autem mandatarius non acceptavit mandatum (ut ex hujus acceptatione, & alterius mandato nascatur contractus) mandans adhuc erit irregularis, si mandatarius ex ejus petitione motus, etiam inscio mandante, vel sciante, nec impediante eadem exequitur. Sic Immola c. *ad audientiam* h. t. quia sic adhuc mandans per suam petitionem influit, cum non sit retractata. Mandantem quoque irregularem fieri, etiam in eo casu, quo mandatarius occiditur, v. g. ab eo, quem occidere jussus erat, vel aliis eum defendentibus, negant aliqui apud Innoc. in cit. c. *ad audientiam* n. 4. sed contrarium probabilius est, quia mandatarius injustè, ac temerariè exponit mortis periculo, cum directè ad hoc inducendo, sic Barbof. in c. *fin.* h. t. in 6. n. 6. contra Dianam p. 2. tr. 5. n. 17.

829 Not. præterea, quòd diximus, eum, qui injustè mandat aliquem verberari, licet expressè prohibeat, ne occidatur, vel mutiletur, fieri irregularem, si mandatarius excedat fines mandati, etiam mutilando, quia mandando fuit in culpa, & debuit cogitare, hoc posse evenire; secus est, si justè mandat c. *fin.* h. t. in 6. Suarez. to. 5. d. 45. §. 2. num. 3. Sed hoc non procedit, si mandatarius sine alicujus mandato occisurus erat, nisi ex mandato citius occidat; sic Barbof. in cit. c. *fin.* n. 7. in quo etiam deciditur, irregularitatem non incurri ab eo, qui præcisè ratum habet homicidium suo nomine factum. Not. 2. doctrinam superiori numero traditam, habere locum etiam in casu, quo mandatum illud injustum non est expressum, sed solum tacitum; ut si quis injurià affectus à Titio, dicat servo suo, *non occide Titium; non tamen redeas, donec novi aliquid à te audiam circa Titium.* Sic Barbof. in cit. c. *fin.* n. 5. quia tale dictum facit præsumptionem mandati saltem taciti.

Quæres, an poenæ juris contra injustè mandantem, fieri homicidium, incurrantur, licet mors non sit secuta? R. negativè, nisi in casibus jure expressis. Ratio est, quia poenæ juris petunt delictum consummatum, nisi aliud exprimat, ut fit in c. 1. h. t. in 6. de quo agam infra, cum dicam de homicidio per assassinos commissò, ubi exponam etiam casus jure expressos, quibus poena juris incurritur à mandante injustum homicidium, etiam effectu non secuto vide dicenda n. 839. & seqq.

§. 3.

De consentiente, vel ratum habente homicidium.

AD 1. R. communem doctrinam esse, quòd qui sine ulla alia cooperatione in homicidium injustum, quod nullo modo sit nomine ipsius, purè consentit, non fiat irregularis, nec ullam poenam incurrat, etiam morte secuta, licet consensum verbis exprimat; ita Suarez. d. 44. de censuris sect. 3. n. 21. quia sic non influit efficaciter in homicidium. Dixi, quòd nullo modo sit nomine, vel occasione ipsius; secus est, si fiat propter ipsum, vel ad vindicandam injuriam consentienti factam, vel ad liberandum illum à tali homine ipsi contrario &c. quia sic moraliter influit, & cooperari censetur, nisi externè ostendat sibi displicere eadem. Non sufficit tamen ad irregularitatem in hoc casu, solum externum silentium, licet adsit internus consensus. Quia poenæ latae in consentientes, requirunt *consensum* simpliciter, qualis non est *consensus cum addito*, seu *presumptus*.

AD 2. R. ex hoc præcisè, quòd quis in justum homicidium, suo nomine factum, ratum habeat, non incurrit irregularitatem, vel aliam poenam juris; quia, qui factum jam prius consummatum, præcisè ratum habet, seu approbat, non incurrit poenas jure decretas in *committentes* tale factum; hoc enim sonat eos, qui sunt causa facti, ad quòd requiritur, ut se habeat *antercedenter* ad factum consummatum. Excipe tamen, nisi lex poenalis expresse loquatur etiam de ratihabitione, quòd non contingit in nostro casu.

Dices, qui mandat homicidium injustum, incurrit poenas in homicidas injustos, jure decretas; ergo & qui ratum habet: pat. conf. Quia *ratihabitio retrotrahitur, & mandato*

mandato equiparatur, ut dicitur reg. 10. de Reg. juris in 6. Ante resolutionem not. 1. quod irregularitas non incurratur, nisi in casibus jure expressis. 2. nullibi esse expressum, quod sola ratihabitio inducat irregularitatem, vel aliam poenam, jure impostam homicidæ injusto, quo posito R. N. consequentiam; ad prob. R. ratihabitionem equiparari mandato in iis tantum casibus, in quibus eam jus mandato equiparari voluit, ut sunt illi, in quibus circa talem effectum non requiritur specialis, & expressa dispositio juris; at circa irregularitatem hæc requiritur; ergo quoad hanc non equiparatur mandato. Cæterum, ea juris regula sic nudè, ac simpliciter prolata, in multis fallit, ut tradit Petrus Peckius ad reg. juris canon. in 6. ad reg. 10. in plurimis enim differunt mandatum, & ratihabitio, quia mandatum potest esse etiã in rebus alienis; ratihabitio autem de re ad nos non pertinente, seu non gesta nomine nostro, nulla est, ut dicitur reg. 9. eod. Mandatum ex diuturnitate temporis non præsumitur; secus ratihabitio. Et ideo non dicitur: ratihabitio est mandatum; sed equiparatur, seu simile est mandato. Similia autem non sunt idem; nec in omnibus eundem effectum habent.

§. 4.

De Consulente, & cooperante ad homicidium.

834 R Espondeo ad 1. quando homicidium, vel mutilatio injusta sequitur, ex vi consilii ad eam dati, consulentem fieri irregularem effectu secuto, & incurrere alias etiã poenas injusti homicidii, ut constat ex c. perniciosè dist. 1. de poenit. & clarius ex c. siquis dist. 50. & c. 1. de Clerico pugnante; acc. sicut dignum §. qui verò & §. sin. h. t. & ideo l. 1. §. persuadere. ff. de servo corrupto dicitur: facientem, & consentientem poena constringit. Et hoc procedit, licet is, cui datum est consilium, aliàs esset occisurus hominem illum, si consilio ad id plus incitatus est, vel acceleravit eadem, ut dicitur cit. c. sicut dignum; sed eo casu punitur consulens poenã solum extraordinaria, ut dicitur ibid. §. qui verò, ibi: qui verò asserunt animum Regis inflammasse ad odium, unde homicidium fuit secutum, durè, & asperè, sed non ita severè, sunt puniendi, nisi fortè Regem ad illud homicidium suis suggestionibus provocasset V. etiã §. sin. ibid. Vitatur ta-

Tom. V.

men irregularitas, si consilium efficaciter revoces; vel, si non possis, periclitantem occultè moneas. Nam tali casu consulens, quantum potest vim Consilii inefficacem reddit per istam cautelam ejus, cujus mors quærebatur.

Ad 2. notandum, cooperari hic accipi 835 pro eo, quod est, prestare opem, vel auxilium. Dupliciter autem præstari potest auxilium; primò, ut eo non præstito non fuisset factum homicidium; Secundò, ut eo etiã absente fuisset factum; & hoc rursum vel directè (ut percutiendo, vulnerando) vel indirectè, ut detinendo alterum, ne fugere possit, vel occisorem defendendo, aut suã præsentia animandò, &c. quibus positis: R. eum, qui ad injustum homicidium præstat auxilium, sine quo non, cæde secutã fieri irregularem, si tale auxilium sit causa propinqua homicidii. Sic Covarr. in Clementin. unicam h. t. p. 2. §. 2. n. 2. & si ipse auxilians sit causa partialis talis cædis, punitur ordinariã poenã homicidii L. unica, C. de Raptoribus Virg. & colligitur ex c. sicut dignum h. t. Ex quo sequitur, eum, qui armatus assistit occisori propè, censeri causam; seu auxilium proximum præstare, sic Farinac. p. 5. q. 131. n. 67. Qui autem accurrunt, ut occisori, si fortè per violentiam ab aliis impediatur, opem ferant, licet non venerint, ut ipsi ferirent, puniri debent, poenã tamen minore, ut dicitur cit. c. sicut dignum §. illi etiam. Ubi Barbos in cit. c. n. 14. ait, tales esse irregulares. Similiter socians homicidam animo occidendi, licet non apponat manum, secutã exinde morte; eadè ferè poenã punitur, quã homicida, ut dicitur cit. c. §. illi autem: idem est de sociante homicidam, animo prohibendi, ne à cæde impediatur, ut dictum est priori numero. Similiter qui ex justitia tenetur alterius vitam defendere, & non defendit, cum potest sine suo gravi damno, fit irregularis; secus, si tenetur solum ex charitate: ita communis, quia sic est injusta causa homicidii per cooperationem negativam.

Sed universim notandum, quod, ubi 836 in hætenus dictis asseruimus, in allatis casibus incurri irregularitatem, de consilio generatim locuti simus, præcindendo, num ea irregularitas proveniat ex homicidio voluntario, an casuali? nam hæc distinctio probè attendenda est, præsertim ubi dispensatio in ejusmodi irregularitate necessaria est. Nam irregularitas ex delicto occulto, dispen-

Z 2

lati

fari potest ab Episcopo, ut dicemus infra, præterquam *ex homicidio voluntario*; irregularitas igitur, quam ex prædictis casibus, juxta plurium Doctorum opinionem contrahi aßeruimus, tunc demum censenda est *ex homicidio voluntario*, quando illæ actiones, de quibus in præcedentibus actum est, *ex proposito* factæ sunt, ad causandum injustum homicidium, ut diximus supra, aliàs reducendæ erunt solum ad irregularitatem ex homicidio casuali, ut constabit ex dicendis.

S. 5.

De homicidio per assassinos.

837 **O**lim *assassini* propriè dicebantur quidam infideles sub Principe pariter infideli; à quo ita edocti, & instructi erant, ut quos ille occidi jussérat, facillimè, seu promptè occiderent, arbitrantes ex hoc mortem non esse timendam, nec ullam poenam ob istud factum post suam mortem se passuros, imò se obsequium præstare Deo. Hodie autem jam praxi receptum est, ut *assassini* dicantur, quicumque pecuniâ conducti, vel alio pretio, injustè homines occidunt, vel percutiunt, nihil tale ab illis præcavescentes; ita Covarr. Zerol. Gutierrez. & alii, quos citat, & sequitur Barbof. in c. 1. de homicid. in 6. n. 24. Ex quo vides *assassinium* esse homicidium per assassinos commissum.

838 Not. autem 1. eum, qui per assassinum facit interfici aliquem Christianum; vel mandat interfici, licet mors non sequatur ex c. 1. de homicid. in 6. mox referendo; item, qui assassinos recipit, defendit, vel occultat, ipso facto incurrere excommunicationem, & depositionem à dignitate, honore, ordine, officio, & beneficio c. *pro humano* 1. de homicid. in 6. ibi: *sacri approbatione Concilii, statuimus, ut quicumque Princeps, Prelatus, vel quævis alia Ecclesiastica, secularisvè persona, quempiam Christianorum per prædictos assassinos interfici fecerit, vel etiam mandaverit (quanquam mors ex hoc forsitan non sequatur) aut eos receptaverit, vel defenderit, seu occultaverit, excommunicationis, & depositionis --- sententias incurrat ipso facto.* Et hæ poenæ suam executionem habent tam contra personas Laicas, quam Ecclesiasticas, etiam Episcopos, & Archiepiscopos, ut notat, Barbof. in cit. c. n. 4. & 25. & locum habent non tantum

in mandato, sed etiam mandato, si pretium accepit. Farinac. in cit. praxi crimin. p. 5. q. 123. n. 9. etiam in personis maximi gradûs, & dignitatis, cum ea constitutio sit favorabilis, & medicinalis, Reipub. utait Barbof. cit. n. 3.

Not. 2. assassinii poenas locum habere, 839 etiam *morte non secutâ*, ut dicitur cit. c. 1. de homicid. in 6. intellige tamen, modo præcesserit conductio, seu pretii promissio, sic, ut pretium promissum, vel etiam datum, fuerit principale motivum conducto, exequendi, vel conandi exequi occisionem petitam, quo casu sufficit, qualecunque pretium, etiam exigui valoris, ut docet Haunold. tom. 6. de Justit. tr. 1. n. 222. Secus est, si pretium non fuit motivum principale. Et si promissio, etiam generalis, est pretio æstimabilis v.g. *dabo tibi filiam in uxorem, vel faciam te heredem*, sufficit factam esse promissionem, licet actu non sit exhibitâ, quia sic jam invenitur tota malitia, quam Ecclesia execratur, sic Haunoldus cit. n. 223.

Not. 3. depositionem, de qua in n. 838. 840 non accipi pro illa, prout ordinatur ad degradationem, præviam traditioni Curie secularis (hæc enim non fit nisi in casibus jure expressis, ut docet Barbof. p. 3. de officio, & potestate Episcopi, allegat. 100. è quorum numero non est crimen assassinii) sed depositionem verbali, vel simili à lege constituta, sic Barbof. in c. 1. h. t. in 6. n. 13. Contrariam tamen sententiam in praxi observari docet Julius Clar. *s. fin.* q. 36. n. 30. quam nihilominus sic temperandam esse censet Barbof. in c. 1. h. t. in 6. n. 14. ut circa crimen præcedat sententia declaratoria per Judicem Ecclesiasticum, antequam à seculari Clericus delinquens capi, & puniri possit.

Not. 4. quòd assassini præter poenas 841 prædictas in cit. c. puniantur perpetuâ diffidatione apud totum Christianum populum, quâ aliud non significatur, quàm, quòd à quolibet privato impunè offendi, ac occidi possit. Farinac. p. 4. conclus. 101. Verùm, ut rectè not. Zypæus de Jurisdic. Ecclesiastica, & civili, l. 1. c. 7. n. 11. hoc non videtur usu receptum; cum etiam Gregorius XIV. in Bulla. *Cum alias*, super confugientibus ad Ecclesiam edita, inter extrahendos numeret *assassinos*; & tamen, non nisi præviâ cognitione, & modo ibi præscripto, extrahi permittat, ut cæteros.

Illud

842 Illud etiam advertendum, prædictum
 c. 1. h. t. in 6. juxta nonnullos; *tantum pæ-
 nale*, non esse extendendum extra proprios
 terminos, qui agunt de conductis homicidiis
 non *quibuscunque, sed paganis*. Nam hi tunc
 propriè dicebantur *assassini*, ut docet Diana
 p. 7. tr. 1. resolut. 15. quem citat, & sequit-
 tur Zypæus loc. cit. & quidem solum tunc,
 si conducti sint ad occidendum *Christianum*.
 Sic Joannes Andreas apud Julium Clarum
 l. 5. sent. §. *assassinium* num. 3. Haunold cit.
 n. 225. Quamvis autem dictum c. 1. quoad
 pœnas, inibi contentas, strictè sumi debeat,
 ut dictum est; quia ubi agitur de pœna, vi
 specialis constitutionis imponenda, requiritur,
 quòd concurrant omnes qualitates, de
 quibus in ipsa constitutione fit mentio, ut
 notat Clarus cit. n. 2. hodie tamen ut dixi,
 n. 837. juxta communem jam praxim, assas-
 sinus dicitur omnis homo conductus ad al-
 terum injustè occidendum, conventionem fa-
 ctà pro pretio, ut fiat cades; & ad incur-
 rendam pœnam assassini sufficit conatus,
 hoc est, quòd conductus non steterit in pura
 promissione, sed devenerit ad aliquem ac-
 tum, ultra tractatum, seu conventionem,
 licet actus ille non sit proximus. Sic Julius
 Clarus cit. in additionibus n. 29. Et quo-
 niam directè quærit reverentiam, adeoque
 favorem Ecclesiarum, magis favorem con-
 tinet, quàm pœnam; cum ipsam ordinet
 ad finem à lege directè quæsitum V. n. 848.
 infra.

§. 6.

De homicidio proditorio?

843 SUpponendum homicidium aliud esse
simplex, aliud *qualificatum*. Sic Julius
 Clarus l. 5. sent. §. *homicidium* n. 1. qui di-
 cit, homicidium *simplex* vocari, quod com-
 mittitur sine qualitate animi deliberati.
 Contingit autem homicidium fieri, vel ex
 necessitate, vel casu, vel culpa, vel dolo.
Necessitate fit, cum quis ad sui necessariam
 defensionem alium interficit, de quo videri
 potest Clarus cit. à n. 24. *Casu* fit, cum quis
 aliquem occidit sine culpa, aliud facere co-
 gitans. *Culpa*, cum quis aliquem occidit
 sine dolo, & animo deliberato, cum cul-
 pa tamen juridica latà, ut, si quis lapidem
 projiciat versus turbam hominum, ex quo
 hominem interficit. Hoc enim casu abest
 dolus in interficiendo, sed non culpa in
 projiciendo. *Dolo* denique, quando quis

animo deliberato aliquem occidendi, illum
 interficit. V. quæ diximus à n. 89.

Dupliciter autem potest quis occidere 844
animo deliberato. 1. Si hæc deliberatio non
 ex intervallo præcessit, sed in rixa calore
 iracundiæ. Et hoc modo homicidium do-
 lo commissum adhuc vocari potest *simplex*,
 prout homicidium *simplex* opponitur *quali-
 ficato*, seu affecto qualitate *animi deliberati*;
 2. Cum deliberatio ex intervallo præcessit,
 qui est secundus modus *deliberatè occidendi*.
 Si homicidium, quod fit, adjunctam habet
 qualitatem, quòd factum sit *ex proposito*, seu
dolo, vel *ex insidiis*, vel *per scarium*, aut *pro-
 ditorie*, dicitur *qualificatum*; quod secus,
 propriè *simplex* dicitur, licet alii velint, et-
 iam considerari alias qualitates v. g. quod
 occisus sit *sacerdos, parens, conjunx* &c. sed
 quoniam hic solum loquimur de homici-
 dio potissimum *per ordinem ad irregularita-
 tem* inde nascentem; non autem in ordine
 ad alias pœnas, ratione aliarum qualitarum,
 nisi quatenus explicat rationem homicidii
voluntarii, vel *casualis*, de his præcipuè in
 præfens quæstio procedit. Quid porro sit
 homicidium *ex insidiis*, aut proditorie com-
 missum, exposuimus à n. 810. Neque du-
 bium est, utrumque reduci ad homicidium
 voluntarium, seu *ex proposito*, consequen-
 ter comprehendi sub pœnis homicidio vo-
 luntario statutis.

Not. præterea, quod, licet non omne 845
 homicidium, etiam voluntarium, seu *ex
 proposito*, aut *dolo commissum*, excludat ab
 asylo Ecclesiæ, ut nimirum talis homicidii
 Reus confugiens ad Ecclesiam, immunitate
 non gaudeat (cum sub ea latitudine non
 comprehendatur sub criminibus exceptis in
 constitutione 7. Gregorii XIV. quæ retuli-
 mus n. 816.) secus tamen est de homicidio
ex insidiis, vel *proditorie* commisso; ubi
 adverte per hoc, quod *crimina excepta*, de
 quibus loco cit. eorum reos excludant ab
 asylo Ecclesiæ, non propterea Judicibus
 Laicis concedi, eos, si confugiunt ad locum
 asyli, vi, vel per se, vel per suos Ministros
 posse extrahere; sed solum statui, quòd
*superiores talium locorum sacrorum, ad que
 hujusmodi Rei confugerunt, quando judicio
 suo (nimirum Ecclesiastico) tale delictum
 commisisse videbuntur, & à Curia seculari
 fuerint requisiti, Ministris, & officialibus Cu-
 ria secularis, absque irregularitatis nota, aut
 alicujus censura Ecclesiastica incursum, tradi, &*

consignari curent, & faciant, ut expressè habet etiam constitutio. Cùm aliàs nonnulli.

§. 3.

846 Subjungit autem §. 4. *Ne autem Curia secularis prædicta Ministri facultate illos per se, & propria auctoritate extrahendi, & abducendi, sibi olim, ut præfertur, attributa, & per præsentem revocata abutantur, volumus, dictaque auctoritate decernimus, & declaramus, ut Curia secularis, ejusque Judices, & Officiales, ab Ecclesiis, Monasteriis, locisque sacris prædictis, laicum aliquem, ut præfertur, delinquentem, in nullo ex casibus prædictis, sine expressa licentia Episcopi, vel ejus officialis, & cum interventu persona Ecclesiastica ab eo auctoritatem habentis, ad quos solos, & non alios, Episcopis inferiores, etiamsi alii ordinarii sint, aut nullius Diocesis, aut Conservatores ab hac sede specialiter, vel generaliter deputati, prædictam licentiam dandi, facultas pertineat. Occurrente autem casu in loco exempto, & nullius Diocesis, tunc ad Episcopum viciniorum devolvatur hæc cognitio, & non ad alios, capere, extrahere, aut incarcerare non possint, nisi eo casu, quo ipse Episcopus, & dicta persona Ecclesiastica requisita, illos in delictis superius expressis culpabiles, tradere, aut captura & carcerationi intervenire, & assistere recusaverit, tuncque reverentia Ecclesie & locis sacris debita memores prædictos delinquentes, minori quo id fieri poterit, cum scandalis, & tumultu extrahere curent.*

847 Eadem auctoritate §. 5. statuit, quòd delinquentes Laici prædicti, postquam, ut præfertur, ab Ecclesiis, locisque sacris extracti, & capti fuerint, ad carceres Curie Ecclesiasticæ reponi, & ibi sub tuto, & firmo carcere, ac opportuna custodia, data illis, si opus fuerit, per Curiam secularem, detineri debeant, nec inde extrahi, Curiaque seculari prædicta consignari, nec tradi possint, nisi cognito prius per Episcopum, seu ab eo deputatum, an ipsi verè crimina superius expressa commiserint? tuncque demum, de mandato Episcopi, per Judicem Ecclesiasticum, Curia seculari, quacunque appellatione postposita, consignentur.

848 Dices: inter crimina excepta, non ponitur quodcumque homicidium ex insidiis, sed solum crimen eorum, qui viatores ex insidiis aggrediuntur; ergo, qui occultans se in urbe, vel domo, inimicum suum certo tempore transire solitum expectat, & nihil tale metuens ex proposito occidit, non

incurrit poenam privationis a syli Ecclesiastici; patet consequentia; cùm enim hæc constitutio sit odiosa, privans beneficio reus criminum concessio, strictè intelligi debet, nec extendi, nisi ad reos criminis, qui ex insidiis viatoribus structis illos occiderunt. Et multò probabilius esse, quòd hæc constitutio sit favorabilis; cùm reverà directè intendat favorem, & reverentiam Ecclesiarum, quæ vehementer dehonoraæ fuerunt per Laicorum abusus, ex qualibet rationis paritate judicantium, licere sibi reos, ad Ecclesiam, vel Monasterium confugas, (modò delictum aliquam similitudinem habuerit cum alio, cui jus a syli ademptum erat) de Ecclesiis etiam vi extrahere, magno Scandalo, divini honoris, & Ecclesiarum irreverentiæ, & immunitatis Ecclesiasticæ contemptu, ut liquet ex ipso proœmio dictæ constitutionis. Hinc ad object. Et dato antecedente N. consec. cujus probatio neganda est quoad eam partem, quâ dicit, dispositionem dictæ constitutionis, odiosam esse, accedit, quòd terminus Viator propriè dicitur de eo, qui per viam tendit, ut notat Pereyra in Elucidar. n. 1420. licet etiam usurpetur pro itinerantibus.

ARTICULUS. III.

De homicidio casuali?

849 Quid sit homicidium casuale, prout hic accipitur in ordine ad incurrendam irregularitatem ex delicto, diximus n. 809. Non agimus hic de homicidio plene casuali, quod scilicet nec directè, ne indirectè est voluntarium; sed de illo, quod directè involuntarium est, indirectè autem voluntarium, scilicet in causa ex qua non quidem per se, & necessariò sequitur, sed sequitur tamen, ut plurimum, & communiter; ut si quis percutiat foeminam prænantem, unde abortus oritur. Hoc præsupposito; not. dupliciter homicidium imputari ad culpam illi, à quo fit casualiter, hoc est præter intentionem cum aliqua culpa; primò quando sequitur homicidium ex ejus actione illicita, quæ quidem directè voluntaria sit, sic tamen, ut homicidium inde secutum, sit aliquo saltem modo voluntarium in causa per accidens, modo explicato. Secundò quia sequitur ex actione quidem licita secundum se, non tamen adhibita sufficienti diligentia,

tiā, ne ex illa talis effectus sequatur, his præmissis.

850 R. 1. propter homicidium omnino involuntarium, seu casuale, nullam incurripœnam, nullam irregularitatem *ex delicto*; quia sic caret omni culpā V. Clement. *unicam* h. t. cuius hæc sunt verba: *si furiosus, aut infans, seu dormiens hominem occiderit, vel occidat, nullam ex hoc irregularitatem incurrit. Et idem de illo censemus, qui mortem aliter vitare non valens, suum occidit, vel mutilat invasorem.*

851 R. 2. eum, qui dat operam rei licite, ex qua per accidens sequitur homicidium præter intentionem, prius adhibita debita diligentia, nullam irregularitatem, nullam poenam incurrit; deducitur ex c. *dilectus* 13. ibi: *Mandamus, quatenus, si ita est, cum idem Capellanus nec voluntate, nec actu, homicidium perpetravit, nec dedit operam illicitæ rei, non impedias, quominus divina possit officia celebrare.* Idem habetur in duobus sequentibus, nimirum in c. *ex literis* 14. c. *ex literis* 15. h. t. & pluribus aliis, eodem, & ratio est; quia tunc caret omni culpā. Dixi, *prius adhibita debita diligentia.* Nam eā omissa, dans operam rei secundum felicitatē, quā posita sequitur mors alterius, fit irregularis c. *Presbyterum* 7. h. t. quod summatur sic in Rubrica: *homicidium casuale imputatur ei, qui dabit operam rei licitæ, si non adhibuit diligentiam, quam debuit.* Idem habetur in c. *continebatur* 8. eod. sed hoc limitandum est juxta dicenda in sequentibus à n. 853. potest enim ea actio de se esse licita, & periculosa; quo solum casu dictum procedit, si periculum prævisum est; non autem, secus.

852 Si quæras, quando ad effectum incurrendæ hujus irregularitatis censeatur, non fuisse adhibita debita diligentia in casu prædicto? R. 1. in foro externo tunc censeri non adhibitam, quando intercessit culpa juridica, vel lata, seu crassa, vel etiam levis de quo V. dicenda à n. 898. in foro tamen conscientie tunc solum, quando intercessit culpa Theologica, seu peccatum; & probabilius mortale, cum poena (nimirum irregularitas ex delicto) gravis sit.

853 Si quæras 2. an fiat irregularis, qui facit actionem illicitam, ex qua re ipsa sequitur aliquod homicidium casuale, seu præter intentionem, quamvis omnem diligentiam adhibuerit ad illud cavendum? pro resol. not. illam actionem posse esse, vel

non esse, *periculosam*. Periculosa est, si suapte naturā apta, & ordinata est, ad inferendam mortem, & consequenter ratione talis periculi specialiter prohibita; secus dicitur non periculosa; his præmissis: R. 1. eum, qui operam rei illicitæ, sed non periculosa, ex qua præter ejus intentionem sequitur homicidium, non fieri irregularem, si prius omnem diligentiam, quam debuit, illud cavendi adhibuit, quia sic homicidium nullo modo illi voluntarium est, R. 2. eum irregularem fieri, qui licet adhibeat debitam diligentiam, dedit operam rei ipsi illicitæ, ac periculosa, ex qua sequitur homicidium, quia sic homicidium est illi voluntarium in causâ prohibita ratione periculi, c. *Tua nos* 19. h. t. sed hoc intellige, si intercessit culpa gravis in cavendo periculo, juxta n. 852. vel alio titulo de quo num. seqq.

Dices: nullus fit irregularis, qui adhibita 854 omni diligentia dat operam rei licitæ, ex qua præter intentionem sequitur homicidium; ergo à contrario fit irregularis omnis ille, ex cujus actione illicita sequitur homicidium, licet omnem adhibuerit diligentiam. R. 1. argumentum à sensu contrario in poenalibus, & odiosis non habere locum R. 2. disting. conseq. ergo à contrario fit irregularis omnis ille, ex cujus actione illicita, & periculosa, sequitur homicidium. C. ex cujus actione illicita sed non periculosa sequitur homicidium, nego conseq. Nam expressi juris est, irregularitatem non incurri, nisi in casibus jure expressis, homicidium autem ex actione illicita, sed non periculosa, non est casus in jure expressus, cui imponitur irregularitas; ergo. Quod autem casus homicidii secuti ex actione illicita & periculosa, licet omnis diligentia sit adhibita quoad cavendum periculum, sit expressus in jure, constat ex c. *Tua nos* 19. h. t. ubi declaratur, irregularis sacerdos propter mortem secutam ex apostemate mulieri aperto in gutture, licet omnem diligentiam adhibuerit quoad cavendum periculum; non tamen quoad actionem sibi alio titulo veritam. Sunt enim plures actiones propter commune periculum homicidii specialiter prohibita Clericis, qui sunt in sacris constituti, ut *pugnare in bello, explodere tormentum, exercere chirurgiam per adustionem, vel incisionem* &c. ex c. *sententiam sanguinis* 19. Ne Clerici vel Monachi. Dixi qui sunt in sacris constituti. Nam Clericis inferioribus, etiam beneficiatis, cum

cum debita diligentia chirurgiam exercen-
tibus, licet ex ea sequatur mors; non impo-
nitur irregularitas, nec obstat c. *ad aures*, de
ætate, & qualitate, ubi videtur colligi, etiam
in minoribus constitutum irregularem fieri,
si cum periculo mortis curet ægros, eaque
sequatur. Nam, ut notat Layman, ibid. n. 1.
eo loco ideo dictus Clericus irregularis de-
claratus est, quia defecit in probatione *de-
bita diligentia adhibita*, & falsus est, quod
plures ex medicinis suis periculum mortis
incurrerint.

855 Dices: ergo saltem Medicus, vel Chi-
rurgus Laicus irregularis erit, æquè, ac Cle-
ricus in sacris, si ei exercitium Chirurgiæ pro-
hibitum sit, & ex eo sequatur mors, licet om-
nem cavendi diligentiam adhibuerit. R.
cum distinctione, si ei prohibitum sit ratione
periculi homicidii C. si ex alio capite, N. il-
latum. Laicis autem non est exercitium
Chirurgiæ prohibitum ratione dicti periculi,
sed tantum Clericis. Ad extremum not. 1.
irregularitatem ex homicidio casuali, nimi-
rum solum indirectè voluntario supponere
voluntarium in causa graviter mala. Nam
pœna gravis est, consequenter talis esse de-
bet etiam culpa, atque adeo negligentia,
cujus voluntariè admissa titulo, effectus ex
tali causa secutus, in causa voluntarius dicitur.
Not. 2. irregularitatem ex homicidio
casuali, sed in causa culpabili admissa, non
esse tam difficilis dispensationis, ac est ea,
quæ incurritur ex homicidio directè volun-
tario ac injusto, quale solum est, quod sit ex
proposito, ut diximus in superioribus.

ARTICULUS IV.

De homicidio justo, & defensivo.

856 Communis doctrina est, homicidiis
defensivis, nimirum commissis, pro-
pter necessariam vitæ, vel sin corporis de-
fensionem, servato moderamine inculpa-
tæ tutelæ, nullam esse in jure decretam ir-
regularitatem, ut constat ex c. *jus naturale* 7.
dist. 1. ibi: *violentiæ per vim repulsio. Nam
hoc nunquam injustum, sed naturale, æquum-
que habetur.* Item ex c. *significasti* 18. h. t. ibi:
*quamvis vim vi repellere, omnia jura permitt-
tant &c.* & Clement. *si funisus*, h. t. cujus
verba retulimus supra n. 850. Et hoc pro-
cedit, sive Laicus, sive Clericus ex tali ne-
cessitate alium occidat; cuilibet enim licet
naturali jure vim vi repellere. Hujus ulte-

rior ratio est; quia ad irregularitatem con-
trahendam ex homicidio, privatâ authori-
tate facto, requiritur culpa, ut docet Co-
varr. in cit. Clement. p. 3. patetque ex ipso
textu; sen in dato casu nulla est culpa, cum
jure naturæ id liceat, ergo; his præ-
missis:

Quæres 1. an incurrat irregularitatem, 857
qui occidit injustum invasorem, ob necessa-
riam defensionem honoris, & famæ? R.
talem occisorem non fieri irregularem oc-
cidendo (servato moderamine inculpatæ
tutelæ) si non potest fugere illud malum si-
ne notabili, & gravi ignominia, & dedeco-
re sui honoris; secus si potest; ita Suarez,
d. 40. de Censur. sect. 1. à n. 5. quia malum
illud, sub talibus circumstantiis, est mora-
liter inevitabile. Ratio ulterior est ex n.
seqq. quia talis nec incurrit irregularitatem
ex delicto, nec *citra delictum*. Non *ex deli-
cto*; quia jure naturali licet vim vi repellere,
quantum necessarium est, ne quis injustè læ-
datur; ergo cum talis necessaria defensio
careat culpâ; carebit etiam delicti pœnâ.
Non etiam *citra delictum*; nam nulla ir-
regularitas est homicidio citra delictum fa-
cto statuta, nisi Ministris justitiæ, & Militi-
bus propter defectum lenitatis, seu perfectæ
significationis sacramentalis, in Ecclesiæ
Ministris requisitæ, ut rectè not. Castropal.
cit. n. 8. in fine.

Dixi: *servato moderamine inculpatæ tu-
telæ*; si enim hoc non observetur, sed ex-
cedatur, omnino dicendum est, irregula-
rem fieri ex c. *suscipimus* 10. ibi *quia expe-
diebat, potius post tunicam, relinquere pal-
lium &c. abstinere ab altaris ministerio c.
significasti*, 18. h. t. *quamvis vim vi repelle-
re, omnia jura permittant; qui tamen id fi-
eri debet cum moderamine inculpatæ tutelæ,
non ad sumendam vindictam, sed ad inju-
riam propulsandam, non videtur idem sacer-
dos à pœna homicidii penitus excusari, tum
ratione instrumenti, cum quo percussit; tum
ratione partis, in qua ille percussus est.*

Si petas, in quo consistat hoc mode- 858
ramen? R. cum Barbof. in c. *significasti*, h. t.
n. 3. moderamen in culpa tutelæ, seu defen-
sionem inculpatam in eo consistere, quod
quis alterum occidat coactus inevitabili ne-
cessitate, vi cujus alio modo se, vel sua sal-
vare non potuerit ab injuria. Ex quo sequi-
tur 1. non servari moderamen inculpatæ tu-
telæ, si occisio, vel mutilatio alterius fiat *ad
vindictam*, & non ad injuriam repellendam,

dam, ut dicitur in cit. c. significasti ibi: *non ad sumendam vindictam*. Sequitur 2. nec tunc, si occisio fieret ejus, qui te non invasit injuste, nec invasurus esset, nisi praevenires. Quia tunc non ageres *ad injuriam* repellendam. Sequitur 3. nec tunc, si percussio injusti invasoris non fiat in continenti, sed ex intervallo c. *si vero*, de sententia excommunicationis, ibi: *si in continenti vim vi repellat*; aliàs enim potius erit ad sumendam vindictam. Sequitur 4. nec tunc, quando defensio potest fieri minori læsione; ut si occideres injustum invasorem, cum sufficienter defensus esses eo mutilato. 5. nec tunc regulariter, si te defenderes disparibus armis, v.g. contra aggredientem baculo, utendo explosione. Sic Azor. p. 3. l. 2. c. 1. q. 3. 6. nec debitam moderationem invasus fervaret tunc, si postquam vulneratus est, invasorem à pugna desistentem, vel fugientem, primò insequeretur. &c. Excipe tamen primò, nisi invasus baculo, meritò timeat, se occidendum, vel graviter vulnerandum, nisi utatur aliis armis ad se tuendum. Sic Azor cit. Excipe 2. nisi aliter se defendere non possit, nisi aliis armis, vel maximè, si invasor, sit fortior invaso, licet ille tunc esset incrimis, præsertim si haberet socios.

859 Illud etiam hîc notandum venit, irregularitatem incursum ex homicidio, non servato moderamine inculpatæ tutelæ commissò, non esse numerandam inter irregularitates ex homicidio voluntario, sed casuali, licet excessus esset ex proposito, & calore pugnae. Homicidium enim voluntarium, cui statuitur irregularitas à Trid. sess. 14. de reform. c. 7. definitur: *quòd sit ex proposito, & industria*, quale non est, quod fit in repentina rixa, vel calore iracundia, etiam cum aliquo excessu, seu facto non necessario ad sui defensionem. Sic Covarr. p. 3. in Clement. *si furiosus* §. unico n. 3. Suarez, Layman, & alii.

860 Quares 2. an fiat irregularis, qui injustum invasorem occidit, ob necessariam defensionem bonorum temporalium, quæ possidet? Resp. negative; quia sic occidens ab invadente ipsius bona cogitur ad eum occidendum, quatenus non potest sua bona defendere alià viâ, nec obligatur ad finendum ea rapi, intellige, si sint bona non exigui momenti, ut colligitur ex c. *suscipimus*, 10. h. t. & quamvis Layman l. 3. summae S. 5. tr. 3. p. 3. c. 9. dicat, hanc sententiam.

riam parum probabilitatis habere; Castropalaus tamen p. 6. de censur. d. 6. p. 17. §. 8. n. 5. contrarium verius existimat; & opinionem nostram in praxi tutam, & securam; pro eod. referens Alphonsum de Castro. Petrum Navarram, Sayrum, Suarez, Filliuc. Coninch & alios. Nam in cit. c. *suscipimus* non imponitur irregularitas propter homicidium factum, ut quis custodiret sua per invasoris mortem; sed quia erant solum modica; & defendens excessit moderamen justæ tutelæ.

Dices: in c. 2. h. t. solum eximitur quis 861 ab irregularitate, qui occidit alium ex necessitate, *se, suaque liberandi*; ergo non ex necessitate liberandi, *tantum famam, vel tantum bona*. Resp. 1. sensum esse *se*, vel *sua*: aliàs, qui ex necessitate liberandi *se duntaxat* occideret alium, fieret irregularis. Resp. 2. sufficienter salvari, quòd defendat *se, & sua*, qui, etsi non periclitetur de vita, non potest aliter salvare famam suam, vel bona sua, sic in c. *Veniens*, de jurejurando, (ubi dicitur à juramento esse liberos, qui illud inviti *pro vita & rebus servandis* fecerunt) particula *&*, non conjunctivè, sed disjunctivè sumitur, & constat ex L. *Sapè* ff. de verb. signific.

Præterea nota. 1. cum in c. *perfoliens* 3. 862 h. t. dicitur furem *nocturnum* licitè occidi; non *diurnum*, intelligi debere, si fugari alio modo possit *diurnus*, cum de hoc facile discerni possit, an veniat ad furandum, vel occidendum? secus in *nocturno*. Not. 2. quando Monachus in c. *suscipimus* 10. h. t. fuit declaratus *irregularis*, non fundari dispositionem juris in eo, quod, necessitate conservandi res temporales occidit furem nocturnum; sed quia excessit limites, & modum defensionis, ut patet consideranti casum ibi relatum. Idem respondetur ad casum in c. *significasti* 18. h. t. Not. 3. omnes, qui in bello *offensivo*, quantumvis iusto, aliquem occidunt, vel mutilant propriis manibus, vel facto, irregulares fieri ex defectu lenitatis; secus est, si ipsi per se non occidant, vel mutilent, licet alii hoc faciant. Prima pars habetur ex c. 1. dist. 51. ibi: *qui, cum potestatibus obediunt, necessario serva præcepta sunt executi, si deinceps fuerint ordinati, cum ordinatoribus suis deponantur*, quod etiam habetur c. 4. dist. ead. junctâ gloss. V. *militaverit*, ubi textus habet: *Sed quis post baptismum militaverit, aut chlamidem sumpserit, vel cingulum ad necandos fideles,*

les, etiam si gravia non admiserit, si ad Clericum admittus fuerit, diaconii non accipiat dignitatem. Secunda ex c. *Presentium* 3. de Clerico percussore; & c. *penult.* h. t. cum in dictis iuribus Clerico, qui in quodam conflictu se asserebat pugnasse pro parte violentiam repellentium, non statuatur irregularitas, licet lapides projecerit, ex quo ipse nullum percussit, nisi necessarium non fuit, ut ipse pugnando se defenderet. Unde, ut rectè notat Gonzalez in c. *Joannes* 23. h. t. n. 7. Cum Clericis, & Religiosis intuitu status Ecclesiastici, maximè abhorrentis à fusione humani sanguinis, simpliciter illicitum sit pugnare in bello etiam justo, nisi defensivum sit, irregularitas incurritur à pugnantibus, nisi hoc exigat vera necessitas, ut & tales persona pugnando se, suaque tueantur.

863 Quæres 3. an incurritur irregularitas etiam ex justo homicidio? R. supponendum, irregularitatem incurri posse non tantum ex delicto, sed etiam *citra delictum*, idque ex pluribus capitibus, ut dicemus suo loco. Ex illis autem, quantum ad præsens attingit, est defectus perfectæ lenitatis, seu mansuetudinis Christi, qui sicut mansuetissimus agnus in ara Crucis pro nobis Patri oblati, nullam, nec licitam vindictam de suis malefactoribus sumere voluit; cujus rei consideratione Ecclesia constituit, eos, qui voluntariè se ingerunt, ut auctoritate publicâ vindictam, quantumvis licitam, sumunt de malefactoribus, non agnoscere habiles ad Ordines Ecclesiasticos, qui ordinentur ad immolationem illius agni mitissimi, per ministerium altaris. Ex quo vides, in quo situs sit defectus perfectæ lenitatis.

864 Supponendum 2. ad incurrendam irregularitatem ex defectu lenitatis, sufficere; quod quis voluntariè, nullâ scilicet cogente necessitate, vel actuali, vel virtuali, voluntate, quantumvis iustâ, & licitâ, auctoritate tamen publicâ, mortem, vel mutilationem alicujus causaverit, vel physicè, vel moraliter, dicto nimirum, vel factò, quod sufficienter dirigitur, vel ordinatur ad homicidium, vel mutilationem inde secutam. Et de mutilatione loquitur non tantum c. *ex literis* 10. de Excessibus Prælatorum ibi: *ipsum indignum Altaris ministerio reputamus; quia non tantum auctoritatem præstitit, sed etiam præsentiam corporalem in candente ferro & suspendio furis*; quod etiam habetur c. *in Archiepiscopatu* 4. de Raptoribus, ubi etiam idem statuitur, de flagellatione ad

sanguinis effusione. Ex quo vides, quod irregularitas ex defectu lenitatis non intelligatur, solum de morte per sanguinis effusionem; sed de morte simpliciter. Sic Josephus Gibalinus de irregularitate c. 4. *Consect.* 7. *diffic.* 3.

Ex hoc colliges, Judicem fieri irregularem, si sententiam mortis, vel mutilationis, licet iustam in Reum proferat effectu securo, sive talis Judex sit Clericus, sive Laicus, id, quod colligitur ex c. 1. *dist.* 51. *junctâ gloss.* V. *ad Sacerdotium*, & alibi passim. Hic tamen excipe 1. summum Pontificem; cum non sit capax irregularitatis humano tantum jure introductæ. Secundò Judicem, sed solum non baptizatum. Nam ante baptismum non est membrum Christi, adeoque in illo non consideratur defectus lenitatis, qui hic respicitur.

865 Quæres 4. quid agendum Judici Ecclesiastico, si habet Reum morte dignum? R. quod ipse Judex Ecclesiasticus non possit, contra Reum mortis, sententiam sanguinis proferre sine irregularitate ex defectu lenitatis; sed debeat eum (si Clericus sit) degradatum, cum protestatione (de qua in sequentibus) committere brachio seculari, ut juxta qualitatem delicti judicet, sententiam ferat, & exequatur. Constat ex variis juris Ecclesiastici locis, ubi prohibetur, ne sententia sanguinis ab Ecclesiastico Judice infligatur c. *In Archiepiscopatu* de Raptoribus ibi: *si verò gravis fuerit excessus quod mortem, vel detractionem membrorum debeant sustinere, vindictam reserves Regia dignitati.* c. *Ex litteris* 10. de excessibus Prælatorum, ubi textus in Rubrica summatus habet: Clericus auctoritatem, vel consilium, directè, vel indirectè homicidio præstans, irregularis efficitur. c. *sententiam sanguinis.* Ne Clerici, vel Monachi, ibi: *sententiam sanguinis nullus Clericus dicat, aut proferat, nec sanguinis vindictam exercoat, aut ubi exercetur, intersit*, nimirum, auctoritativè, & alibi, præsertim causâ 23. q. 4. & 8.

866 Si quæras, qualis protestatio requiratur? R. quod hæc, vel simili formâ: *protestor me nullâ ratione intendere penam sanguinis, mutilationem, vel mortem.* Sic Barbof. in c. 2. de homicid. in 6. n. 8. Ex hac enim protestatione Doctores dicunt, ejusmodi Judicem Ecclesiasticum in dato casu ab irregularitate liberari; sic Bonac. de censur. d. 7. q. 4. p. 1. n. 3. & alii. Unde Colliges

ges 1. quod Prælati, & Clerici, sine irregularitate possint de suis malefactoribus apud Judicem secularem conqueri, & satisfactio- nem petere, etiamsi Judex postea, secundum jura Reo poenam sanguinis inferat, si dictam protestationem præmiserunt, sic Barbof. cit. n. 1. Et hoc procedit siue agant pro injuriis personalibus, siue realibus, seu rebus suis. Ne scilicet detur materia trucidandi eosdem, & ipsorum bona libere depradandi.

868 Dixi 1. de suis malefactoribus. Quare protestatio non liberat ab irregularitate Clericum in dato casu, si conqueratur, vel accuset aliquem de injuria illata personis extraneis, vel consanguineis. Sic Navart. in Manuali c. 27. n. 213. & alii; excipe, nisi damnum alienæ causæ aliâ viâ vitari non possit; Castropalaus de Censur. d. 6. p. 14. §. 2. n. 8. cum non sit credibile, Ecclesiam velle afficere irregularitate actionem jure naturali debitam. Dixi 2. apud Judicem secularem. Nam si ea accusatio fiat apud Judicem Ecclesiasticum, non est necessaria protestatio, etiamsi delictum sit enorme, Barbof. cit. n. 10. Quia Judex Ecclesiasticus non fert sententiam mortis, vel mutilationis.

869 Colliges 2. Clericum non obstante protestatione irregularem fieri, si furem suum coram Judice Laico civiliter accusat, & locum indicat, ubi fur (si non est persona fugitiva) comprehendi possit, si comprehensus plectatur postea poenâ sanguinis, vel mortis; secus, si erat persona fugitiva, quia in posteriori casu, non in priori, indicatio loci, & captura, probabiliter prodest ad sententiam civiliter latam, seu ad actionem, quam civiliter intentat, quâ facile frustraretur, si Reus fugâ dilaberetur, sic Barbof. n. 5. Caterum not. ex Pirhing h. t. n. 105. Clericum accusatorem non fieri irregularem, ob mortem Reo per Judicem illatam, etiam si ipsemet Reum cæteroquin fugitivum capiat, ac Judici tradat ad puniendum, præviâ protestatione, se id agere solum causâ recuperandi damnum. Hoc enim exigit necessitas tuendi sua.

870 Not. autem, ut dicta protestatio proficit ad evitandam irregularitatem, requiri 1. quod protestatio expressè fiat, pat. ex cit. c. 1. ibi: *protestando expressè* 2. non requiri, ut fiat scripto. Barbof. n. 8. nam hoc nullo jure exigitur 3. præmittendam esse protestationem cum ipsa accusatione, aut post accusa-

Tom. V.

tionem, sed ante prolationem sententiæ. Bonacin. de Censuris d. 7. q. 2. p. 2. à n. 5. 4. Et hoc tam Clericis, quam Laicis necessarium esse. Castropal. cit. p. 14. §. 2. n. 2. qui n. 3. addit, huic protestationi locum tantum esse in actione civili, non criminali, cum Judex Ecclesiasticus in causis criminalibus criminaliter intentatis non procedat ad ferendam sententiam mortis corporalis.

Colliges 3. Clericum, civiliter accusan- 871 do aliquem de delicto, cum protestatione dicta, non fieri irregularem, licet Judex *contra justitiam* reo poenam sanguinis imponat, si delicto aliâ poena sanguinis non imponitur. Barbof. n. 12. sic enim ille nullatenus est causa mortis. Coll. 4. dictam intercessionem, seu protestationem interponi, non ut sententiam mortis impediât, sed ut significetur, quantum est ex parte sua, se illam non velle, aut procurare; sic Castropal. cit. n. 1. Coll. 5. illam protestationem non esse necessariam Inquisitoribus hæreticæ pravitatis, ut constat ex quadam Bulla Pauli IV. & Pii V. apud Castropalaum cit. n. 1. ubi hoc extenditur ad omnes inquisitores, Vicarios, & Commissarios in tali causâ. Quare hi sine omni irregularitate, etiam omittâ ea protestatione apud Judices Laicos, si fortè negligentessent, pro executione sententiæ instare possunt.

Quæres 5. an incurrat irregularitatem 872 Ecclesiasticus, qui habens jurisdictionem temporalem constituit Judices, & ministros in causâ sanguinis? R. talem ex defectu lenitatis non fieri irregularem, constituendo Judicem in causâ sanguinis, siue generaliter, siue in particulari casu, ut causam judicet, & exequatur secundum leges, & juris dispositionem; ita Layman. l. 3. summæ sect. 5. tr. 3. p. c. 7. n. 1. Secus est, si Prælati mandaret Judici à se designato, ut sententiam sanguinis hoc, vel illo casu proferret, quia tali mandato directè morti cooperaretur, cooperatione tali personæ prohibita. Unde irregularitas, quam tali casu Prælati incurreret, non est ex defectu lenitatis, sed ex delicto, sic Castropalaus cit. §. 1. n. 3. Idem est, si mander, ut, quem Judex delegatus prius ad mortem condemnaverat, tali die occidat, non autem, si poenam mortis mitiget. Ratio primi est, quia sic directè cooperatur ad mortem Rei: in secundo autem non intendit directè mortem, sed poenæ diminutionem. Si autem Judex delegatus injuste condemnet rerum mortis,

A a z

Man-

Mandans non propterea fit irregularis, quia culpa mandatarii, qui fines iusti mandati excedit, non debet obesse mandanti. *L. si diligenter*, ff. mandati. Nec obstat c. *final.* de homicidio in 6. quod ibi videatur dici contrarium. Nam ibi sermo tantum est, de *injuste mandante*.

873 *Quæres* 6. an, & qualiter ceteri ministri Judicis in causa sanguinis fiant irregulares ex defectu lenitatis? *Not.* 1. *Assessorem* Judicis, qui sententiam sanguinis proferat, eadem irregularitate involvi, quam Judex incurrit. *Layman* cit. sed intellige *de his*, qui autoritative assistunt, sic enim sunt causa proxima mortis. Sic *Leander* de irregularitate tr. 2. d. 7. q. 4. Tales enim revera, licet non physice, sed suffragio suo, atque adeo moraliter, & ut causa proxima tanquam Ministri justitiæ, ac Executores sententiæ mortem inferunt Reo; quod tamen intelligi debet effectu (nimirum morte) efficaciter secuto.

874 Si petas quid dicendum de accusante criminaliter? *Re.* talem irregularem fieri, qui aliquem criminaliter accusat ad vindictam, si exinde mors, vel mutilatio sequatur. c. *si quis viduam* dist. 50. ubi dicitur, quod sibi confcius homicidii, facto, precepto, consilio, assensione (non ut ibi ponitur defensione) post baptismum, debet toto vita tempore communionem tantum Laicam accipere; ergo talis irregularis est; ergo etiam sic accusans, cum verè cooperetur ad sententiam sanguinis. c. *sententiam*. Ne Clerici, vel Monachi. *Not.* autem 2. eo casu irregularitatem nasci ex delicto, si accusatio sit injusta; si autem justa, ex defectu lenitatis; quia Clericis iudicium sanguinis agitare, prohibetur in c. *Clericis*, eod. sed hoc loquitur de Clericis *in sacris*; illud autem *de Clericis simpliciter*. Tertiò nos loqui de accusatione criminis ad mortem sufficientis; secus est, si accusatio sit de culpa insufficiente ad pœnam mortis; ita *Suarez* d. 7. s. 2. licet postea ab aliis accusetur de criminibus morte dignis; *Leander* cit. tr. 2. d. 7. q. 44.

875 Si petas 2. quid dicendum de Testibus in causa criminali? *Re.* testem *voluntariè*, criminaliter deponentem in causa sanguinis, morte secuta ex ejus testimonio, irregularem fieri ex defectu lenitatis; sic enim *voluntariè* ac verè cooperatur ad mortem; *Castropalaus* cit. §. 2. n. 2. Secus est, si faciat ex obligatione juris naturalis; sic enim non deficit in lenitate; cum eo casu *testem*

nolle agere, sit peccatum. *Diana* p. 4. tr. 2. resolut. n. 31. quod etiam probabiliter extenditur ad casum, quo quis testem agit ob præceptum, vel gravem metum. *Castropal.* cit. §. 3. n. 3. *Layman* cit. c. 7. n. 6.

Dices: ergo etiam Judex erit liber ab hac irregularitate. Nam etiam Judex ferendo sententiam mortis, obedit legi. Sed non illatum. Quia in Judice *necessitas parendi legi*, seu præcepto, fundatur in propria voluntate, cum liberè suscipiat illud officium; ita *Leander* cit. q. 69. id, quod non habet testis iussus. Hinc not. præterea, testes voluntarios, qui producuntur in pronuntianda sententia mortis, irregulares fieri, doceri à *Majolo* l. 2. de irregularitate c. 8. n. 5. Item eos, qui producti sunt, seu rogati, ad torturam, si sequatur mors, vel mutilatio. *Sayrus* l. 6. c. 16. n. 9. Tertiò costestes, qui in causa criminali deponent non de delicto morte digno, sed solum de fama talis delicti. *Henriquez*, l. 14. c. 12. num. 9. Et quamvis hi authores per se nullum canonem allegent; videntur tamen ex eo rectè procedere, quia tales autoritative vel concurrunt, vel interfunt, ut publici Ministri, c. *Ex literis* de excessibus Prælatorum: Clericis autem illicitum est, testem agere in causa sanguinis c. *his, à quibus* 23. q. 8.

Quæres 7. quid dicendum de Advoca-⁸⁷⁷to agente contra Reum? *Re.* cum talis manifestè cooperetur morti, eà secuta omnino irregularem fieri, secus est de Advoca-⁸⁷⁸to Reum defendente; ex hujus enim actione mors nullo modo sequitur; ita *Suarez* de censuris d. 47. l. 5. n. 7. nisi causa sit, ut accusator puniatur pœnâ sanguinis, objecto crimine; sic *Castropalaus* d. 6. p. 14. §. 3. n. 6. Excusatur tamen etiam in hoc casu, si crimen ad defensionem sui Clientis objiciat, & protestetur, se non petere mortem accusatoris; ita *Filiucius* hic n. 151. tr. 19. c. 9. Notandum tamen, quod si Advocatus Reum injustè defendat, & hic propterea morte plectatur, Advocatus Reus sit irregularitatis. Quia tunc est causa mortis; sic *Filiucius* cit. Idem dicendum si mors sequatur ex imperitia Advocati; *Gibalinus* cit. c. 4. q. 3. consec. 7. difficultat. 16. Ratio autem est ex dictis generalibus.

Quæres 8. quid dicendum de Tabellio-⁸⁷⁸ne, seu Notario publico? *Re.* cum, testes recipiensem in causa sanguinis, irregularem fieri effectu mortis secuto; quia concurrat ad illum proximè, ut persona publica; sic *Castro-*

Castropalaus §. 4. n. 2. Idem est, si ut persona publica sententiam sanguinis scribat, vel dicat. *c. sententiam*. Ne Clerici, vel Monachi; vel si ut talis illam sententiam sigillo muniat, vel pronuntiet; sic enim auctoritatem præstat; secus est, si ejus acta *authentica* non sint, sed velut à persona privata confecta. Nam hæc irregularitas non incurritur, nisi à publicis justitiæ Ministris, qui morti proximè cooperantur, vel physice, vel moraliter, teste Gibalino hicc. 4. q. 3. confect. 7. difficult. 17. n. 70. Leandro q. 87. Et ideo famulus, qui solum describit sententiam mortis, à Notario confectam, non fit irregularis; Castropal. cit. §. 4. n. 2. secus est de tortore, si exinde Reus confiteretur crimen, ob quod morte afficitur; vel illis, qui Reum ad mortem deferunt, vel Judicem aut equestres, aut pedestres, ad carcerem comitantur; sic enim concurrunt ut ministri publici.

879 Quæres 9. quid dicendum de Mandante Reum capi, & vel vivum, vel mortuum adduci. R. talem Judicem, si in ea captura Reus occidatur, vel mutiletur, irregularem esse, quod etiam procedit, si apponat præmium illis, qui talis rei caput v. g. attulerit, effectu secuto, sic Gibalinus cit. Leander cit. 27. quia sic est verè moralis causa mortis.

880 Quæres 10. quid dicendum de Theologo, Jurisperito, confessario; vel alio quocunque, qui respondet ad quæstionem, *an talis mereatur mortem?* R. si quærat solum in genere, an, qui commisit tale crimen, sit dignus morte? & solum in genere respondeatur, irregularem non fieri, quia sic concurrunt solum remote. Censetur autem respondere in genere, si solum dicat, quid jure statutum sit contra tale crimen; Sic Gibalinus cit. c. 4. q. 3. confect. 7. difficult. 8. Si autem peras, quid dicendum, quando quæritur, an hæc persona particularis mereatur mortem propter talia scelera? R. si solum generaliter respondeat, quid jura statuunt, non fieri irregularem. Quia sic Judex non ab aperiente veritatem, sed ab ipso jure movetur, adeoque talis nec indirectè concurrat; ita Layman l. 3. tr. 3. p. 3. l. 5. c. 7. n. 4.

881 Idem probabiliter dicendum est, si Judici privatim quærenti, an propter talia delicta teneatur hunc hominem afficere morte, legibus decretâ? respondeat teneri, & talem juxta leges mereri mortem; quia nul-

lum jus in talem statuit irregularitatem, etiam si mors sequatur. *Non ex delicto*, quia tali casu nullum committitur; *non ex defectu lenitatis*; nam hæc irregularitas tantum imposita est Judici, ejusque officialibus, auctoritate publicâ fungentibus, v. g. *consulenti juridicè* &c. Sic Castropalaus cit. de censuris d. 6. p. 14. §. 3. n. 7. Hinc ab ista irregularitate etiam immunis est confessarius, qui Judici nolenti punire reum poenâ mortis, prout tenetur, dicit: *Ego non possum, nec volo te absolvere, nisi cum morte punias*, vel potius, *nisi facias, ad quod in conscientia teneris*. Nam nulla irregularitas defectu lenitatis incurritur ex actione, quam quis omittere non potest sine peccato nisi sit actio Ministri justitiæ. Sic Reginaldus l. 30. num. 138. Ex hoc inferes, idem dicendum esse in casu, quo confessarius monet, & jubet Reum, juridicè interrogatum, fateri crimen, quod fateri tenetur; quia sic illa falsio citra peccatum omitti non potest, si autem probabile sit, Reum non teneri fateri communis tenet (etsi neget Leander cit. q. 35.) eo casu Confessarium irregularem fieri. Verùm Confessarius non est justitiæ Minister.

Quæres 11. an irregularis fiat, qui viam ostendit, quâ fur profugit? R. affirmative, si exinde captus occidatur. Sic enim cooperatus est morti. Sic Leander cit. q. 76. excipe tamen nisi ad hoc obligatus sit, & citra peccatum omittere non possit, juxta dicta n. præced. (2) Ad quæstionem autem, an is, qui Judicem rogat, ut Reus ad furcam ducatur v. g. breviori viâ, ne cum infamia tantum populum transeat, propterea fiat irregularis? R. negativè; quia nec fit irregularis ex defectu lenitatis, cum non sit Minister publicus justitiæ, ut supponit casus; nec etiam ex homicidio injusto, quia per suam impetrationem non peccavit. Sic Pellizarius cit. l. 5. q. 14. n. 173. Diana p. 3. t. 5. resolut. 79. & p. 8. tr. 7. resolut. 61.

Quæres 12. an quis propterea fiat irregularis, quod etiam inadvertenter jumentum v. g. instiget, quo Reus vehitur, si hinc mors Rei acceleretur? Resp. negativè 1. quia talis acceleratio modica est. 2. Quia talis nec agit eo casu, ut Minister publicus, nec eâ actione peccat. Sic Hurtado de irregularitate. d. 2. diffi. 11. n. 50. Diana p. 3. tr. 5. resolut. 29. Ex hoc etiam colliges Confessarium, vel Sacerdotem, qui Reum comitatur, ex hoc, quod etiam inadvertenter

Reum inter ambulandum passu præcedat, non fieri irregularem; ratio est eadem, sic Pirhing. h. t. n. 98. Unde nec ex hoc quis fit irregularis, quod Reum moneat, ut eat, scalam ascendat, ad ictum fleat &c. quia per hoc mors non sequitur ex ejus actione injusta, nec tanquam à Ministro justitia. Sic Leander cit. q. 100. contra Bassaem. V. *Irregularitas* 5. n. 3. Ex eadem ratione sequitur eum, qui rudem carnificem docet, expeditè faciendi suum officium, non propterea irregularem fieri; sic Leander à quæst. 101. Idem est de illo, qui carnificem rogat, ut Reum non diu torqueat v. g. in suspendio, sed citò liberet. Ratio est eadem.

- 884 Quæres 13. an, qui intersunt executioni mortis, ex hoc fiant irregulares? R. Clericos, habentes jurisdictionem temporalem, si adsint executioni mortis, irregulares fieri, ut constat ex c. *ex literis* de Excelesiis Prælatorum, secus est, si eâ careant; quia jura loquuntur expressè de habentibus ejusmodi jurisdictionem. Dubitari tamen potest, an saltem peccent Clerici, si sine justa causa adsint executioni mortis? R. aliquos docere, quod peccent graviter; ita Sayrus l. 6. c. 18. à n. 20. Alios, quod solum leviter; ita Suarez d. 47. l. 4. n. 10. sed Leander de irregularitate tr. 2. d. 7. q. 104. tener, quod nec leviter peccent, esto adsint excuriositate secluso scandalo. Jura enim contraria non agunt de simplici Clericorum præsentia, sed habentium jurisdictionem temporalem; & Diana p. 4. tr. 2. resol. 35. ait: ejusmodi canones, talem simplicem præsentiam prohibentes, contrariâ consuetudine jam abrogatos esse, sic quoque loquitur Castropalaus cit. §. 4. n. 2.

ARTICULUS V.

De homicidio commisso in bello.

- 885 **H**omicidium contingens in bello, etiam fit auctoritate publicâ Principis, vel Reipublica, bellum gerentis, vel justum, vel injustum, idque aut defensivum, aut offensivum, seu aggressivum. De his in præsens quaeritur, an etiam ex ejusmodi homicidio incurratur irregularitas, & quæ? an ea, quæ statuitur homicidio ex delicto, an quæ ex defectu lenitatis.

- 886 Quæstio igitur est 1. quid dicendum de pugnantis in bello injusto? R. pugnan-

tes in bello injusto, ubi vel unus occiditur, esse irregulares, quod etiam extenditur ad cooperantes, licet ipsi propriis manibus non occidant, vel mutilent. c. *si quis*, dist. 51. c. *Sicut dignum* §. *finali* h. t. & c. *quod in dubiis* dist. 51. juncta glossa. V. *incitant*, quia sic operantur communi consilio, vel auxilio. Excipiuntur tamen illi, qui in bello injusto assistunt solum ad componendam pacem, vel ad juvandum in Spiritualibus milites, Sylvester. V. *homicidium* 3. n. 8. illa porro irregularitas non est tam ex defectu lenitatis, quàm ex delicto, belli nimirum injusti: Clericos tamen non fieri irregulares, ex hoc, quod in bello injusto assistant, vel adhortentur milites, ad pugnandum strenuè, si nullum etiam per alios homicidium, vel mutilatio contingat, non esse improbable docet Pirhing. h. t. n. 114. in fine.

Quæstio est 2. quid de pugnantis in bello justo defensivo? R. Laicum, vel Clericum in tali bello justo mutilantem, vel occidentem alium *ob necessariam defensionem propria vite, vel personæ* non fieri irregularem, ut constat ex n. 842. quod etiam procedit, ob necessariam defensionem Patriæ, vel Ecclesiæ in casu inevitabilis necessitatis. Et ideò in tali casu etiam Clerici tenentur ad vigilias, & custodiam civitatis c. 2. de immunitate Ecclesiastica.

Dices: in c. *peritio* 24. h. t. dicitur, Clericum, bellantem in bello etiam justo, incurrere irregularitatem, quando in eo aliqui sunt interfecti. Resp. verum esse, quod Clericus etiam in justo bello, & defensivo Patriæ, vel castri contra injustum aggressorem, licet foret hostis fidei Catholice, fiat irregularis, si aliquis occidatur *extra casum inevitabilis necessitatis*, & ubi necessarium non est, defensionem fieri per Clericos, ut dicitur in cit. c. secus tamen esse in casu inevitabilis necessitatis; ita Suarez de censuris d. 47. l. 6. n. 4. idque ob rationem traditam supr. à n. 857. Ex hoc colliges, quod Clerici, quamvis sine irregularitate possint in bello justo alios hortari ad pugnam contra hostes c. *igitur*, c. *omni* c. *hortatu* c. *ut pradam* 23. q. ult. & c. *Hadrianus* dist. 63. tamen in propria persona pugnare non possint c. *Clerici* 5. & 6. ead. caus. & quæst. quia status Clericalis id prohibet c. *Ex multa*, de voto juncta glossa in cit. c. *peritio* V. *Remordest*; exceptu casu inevitabilis necessitatis, si scilicet non sint Laici, qui pugnent, vel sufficient.

Quæ-

ARTICULUS VII.

De dispensatione in irregularitate ex homicidio.

892 **Q**uestio est primò, quis jure ordinario dispensare possit in irregularitate, contracta ex homicidio, vel mutilatione voluntaria, & injusta? R. posse solum summum Pontificem. Nam inferior in lege superioris jure ordinario dispensare non potest, extra certos casus, ut constat ex dictis l. 1. decret. Constitution. tit. 2. sed irregularitas ex homicidio, vel mutilatione voluntaria, & injusta, inducta est lege summi Pontificis; & hæc irregularitas, non est intra certos illos casus; ergo in eo jure ordinario dispensare non potest inferior. Min. probatur ex Tridentino sess. 24. de reform. c. 6. ibi: *liceat Episcopis in omnibus irregularitatibus, ex delicto occulto provenientibus, dispensare*, exceptâ eâ, quæ oritur ex homicidio voluntario; ergo si injustum homicidium sit voluntarium, licet occultum, non licet Episcopo dispensare in irregularitate ex tali homicidio voluntario, etiam occulto; ergo hæc irregularitas non est intra certos illos casus.

893 Ex hoc colliges, Episcopo competere facultatem dispensandi in irregularitate proveniente ex voluntaria mutilatione etiam injusta, sed occulta. Nam vi Trid. cit. Episcop^o dispensare potest in omnibus irregularitatibus ex occulto delicto provenientibus, nisi sit ex casibus ibi exceptis; sed irregularitas ex voluntaria mutilatione, etiam injusta, est ex delicto, & hoc delictum non est ibi exceptum, exceptio enim expressè loquitur solum de homicidio voluntario; ergo si hoc occultum sit, dispensare poterit in ea irregularitate; ita Layman l. 3. summa l. 5. tr. 3. p. 3. c. 12. n. 2. Sanchez l. 1. summa c. 10. n. 49.

894 Colliges 2. idem dicendum de irregularitate contracta ex homicidio casuali, sed occulto, quantumvis injusto. Nam potestas Episcopis concessa ad dispensandum in omnibus irregularitatibus ex occulto delicto provenientibus, in nullo restringitur, nisi proveniat ex homicidio voluntario; sed homicidium casuale non est voluntarium, prout voluntarium hic accipitur ut diximus supr. ergo quoad irregularitatem ex homicidio casuali, potestas Episcopis concessa non restringitur. Coll. 3. in irregularitatibus, quæ proveniunt ex mutilatione, vel homi-

889 **Q**uestio est 3. quid de pugnantibus in bello justo offensivo? R. omnes, qui in tali bello aliquem propriis manibus, seu facto occidunt, aut mutilant, irregulares fieri ex defectu lenitatis; secus est, si ipsi per se non occidunt, vel mutilent, licet alii hoc faciant: prima pars habetur ex c. 1. & 4. dist. 51. junct. gloss. V. *Mutilaverit*. Secunda ex c. *presentium* de Clerico percussore & c. *penult.* h. t. de quibus egimus à n. 862.

ARTICULUS VI.

De Mutilatione.

890 **M**utilatio propriè dicta, est alicujus membri amputatio, vel abscissio; colligitur ex c. *Clericis* 5. Ne Clerici, vel Monachi, & c. in *Archiepiscopatu* 4. de Raptoribus; illam autem partem humani corporis dicunt communiter auctores venire nomine *membri* hoc loco, quæ particularem, seu distinctam ab aliis partibus functionem habet, ut oculus ad videndum, auris ad audiendum, &c. Et colligitur ex l. 10. ff. de adilitio edicto, ubi *digitus* dicitur *pars membri*. Difficultas est, an ad irregularitatem ex mutilatione sufficiat, abscindi notabilem partem membri v. g. cartilaginem nasi, vel aurium, digitum in manu, mamillam foeminae, &c. Affirmativam sequitur Suarez cit. d. 44. l. 2. n. 7. Layman l. 3. tr. 3. c. 11. n. 2. cum in c. 1. de Clericis pugnantibus in duello, dicatur sufficere diminutionem membri, ibi, vel *membraorum diminutio*. Quamvis contrarium probabile, & tutum in praxi, censeat Pirhing. h. t. n. 119. §. *Ex quo* 1. cum versemur in materia poenali, & odiosa. Quòd autem etiam ex sola mutilatione incurratur irregularitas, constat ex dictis.

891 **N**ot. autem 1. irregularitatem impositam mutilationi alterius, etiam intelligi, cum quis mutilat se ipsum c. *qui partem* dist. 25. & in hoc casu sufficere mutilationem, quæ in alio facta non sufficeret ad irregularitatem, propter majorem in eo casu atrocitatem in proprio corpore exercitam, vult Pirhing. h. t. n. 124. sed in poenalibus etiam majoritas rationis, non necessariò concludit ex dict. à n. 137. Not. 2. mutilationem, seu abscissionem membri omnino aridi, seu mortui non esse illud, cui imponitur irregularitas prædicta, quia *non esse, vel esse, sed mutiliter*, paria sunt.

homicidio, quantumvis iusto, sed auctoritate publicâ commisso, iure ordinario dispensare posse solum summum Pontificem; ea enim inducta est lege summi Pontificis, nec numeratur inter eos casus, in quibus inferiori licet dispensare in lege Superioris, ut constat ex Trid. sup. cit. n. 892. ergo.

895 Dices: Tridentinum loco cit. Episcopi solum concedit facultatem dispensandi in irregularitatibus *ex occulto delicto provenientibus*, irregularitas autem ex voluntaria mutilatione iniusta, licet occulta, non est tantum ex delicto, sed etiam ex defectu significationis; ergo in hoc dispensare non potest Episcopus. R. cum distinctione majoris, & eam concedo, si aliud non velit, quàm Episcopum posse pariter dispensare in irregularitatibus ex occulto delicto provenientibus, præter illas, quæ ibidem excipiuntur, etiam si præter delictum, etiam importent defectum significationis, seu lenitatis; nego autem, si restringere velit ad provenientiam *ex delicto tantum* sic, ut in ea concessione non veniat, si laboret delicto, simul & defectu significationis. Ratio huius est, quia si concessio illa excluderet irregularitatem ex occulto delicto, conjuncto cum defectu significationis, prorsus inepta ibi foret exceptio irregularitatis ex homicidio voluntario. Nam propositio *exceptiva* supponit inclusionem excepti in toto, a quo fit exceptio, si abesset exceptio, ut per se patet. Vel ergo inter irregularitates ex occulto delicto nascentes contineretur etiam irregularitas *ex homicidio voluntario*, seclusâ illâ exceptione? vel non? neutrum dici potest.

896 Probat: *non primum* (quod contineretur) quia sic jam conceditur, inter irregularitates ab Episcopo dispensabiles seclusâ exceptione, contineri irregularitatem ex occulto delicto *cum defectu significationis*; hoc enim habet homicidium *voluntarium*; non etiam *secundum* (quod seclusâ exceptione non contineretur) quia sic exceptio non foret necessaria, sed prorsus inepta; exciperet enim inexceptibile. Ut autem intelligatur necessitas dispensationis in irregularitate contracta, not. 1. ubi irregularitas contracta non est, nullam requirit dispensationem; cum autem ex multis casibus fieri possit, eam non contrahi, in multis quoque casibus fieri potest, non opus esse dispensatione. Quare

897 Not. 2. irregularitatem ex mutilatione,

vel homicidio iniusto, sive voluntario, sive casuali, non incurri, in foro poli, nisi homicidium processerit *ex culpa gravi*; Sic Petrus Navarra l. 2. de restit. c. 1. d. 6. n. 69. Valentia t. 4. d. 7. q. 19. p. 3. & alii complures. Nam hæc irregularitas est *in penam delicti*; ergo, cum poena gravis sit, nec cedat culpam, etiam hæc gravis esse debet; id, quod etiam confirmatur ex variis canonibus. Sic Pater suffocans filium suum dormientem irregularis iudicatur solum ex eo, si suffocatio ei *voluntaria fuit, vel ex studiosâ negligentia acciderit*, ut habetur c. *quasitum*, de poenit. & remission. Similiter ab irregularitate excusatur Clericus cum alio ludens, etiam si casu alius occubisset fortuito ex cultello, in quem incidit, quo ille præcinctus erat; nam in tali casu non præsumitur culpa intervenisse, ut dicitur c. *Lator*. 9. h. t.

Quia verò sæpius hic mentio fit de culpa, not. 3. *culpam*, latissimè sumptam, esse deviationem ab eo, quod bonum est, & per hominis diligentiam provideri potuit; latè tamen acceptam (prout distinguitur à dolo, deficere in eo, quod non requirat animum nocendi, quem requirit dolus) summi pro negligentia; & hoc sensu, *culpa lata* dicitur, quando quis ex negligentia fecit, aut omisit, quod ut plurimum homines in tali re, vel negotio non facerent, aut omitterent; ut si quis librum, quem commodatum habebat; reliquit in scarno extra domum, ubi patebat volentibus surripere.

Culpa levis est, cum quis neglexit facere, vel omittere, quod diligentes ea in re non neglexerent facere, vel omittere, ut si commodatarius reliquit librum intra cubiculum, sed aperto ostio, unde surripi poterat; *culpa verò levissima* datur, quando quis fecit, aut omisit, quod soli diligentissimi non facerent, vel non omitterent, ut si quis eundem librum reliquit in cubiculo, clavi quidem reſerato, quin tentarit, num reſeratum maneret?

Not. 4. *culpa* appellatione simpliciter prolata, regulariter venire *dolum*, vel saltem *latam culpam*, quando subjecta materia id suadet; interdum etiam culpam *levem*; non *levissimam*, saltem in odiosis, & poenalibus, ut tenet Decianus in tract. crimin. q. 88. n. 91. Monach. de præsumpt. l. 5. præsumpt. 3. n. 136. Quando autem lex, vel eius dispositio aliquem vult *teneri de culpa*

culpa, semper intelligitur dolus, ut docet Bartol. in L. Quod Nerva, ff. depositi, n. 9. apud Pereyram in Elucidar. n. 148. in multis tamen etiam venit culpa lata, si conjuncta sit cum Theologica. Secus enim (ubi loquitur de culpa lata) dispositio procedit ex sola praesumptione, quod maxime dicendum in poenis spiritualibus ex culpa; haec enim quoad forum internum supponunt culpam Theologicam in veritate, non sola praesumptione.

900 Dices in c. Continebatur, h. t. Clericus Diaconus dicitur irregularis, quia ludens cum aliis, & victus, cum laicum victorem deberet portare, illi se supposuit, falce, qua praecinctus erat, non abscondita, quo factum, ut ille Laicus mortale vulnus acceperit, & intra 8. dies obiit. Id id solum processisse ex praesumptione gravis negligentiae commissae in cavendo periculo, quod in bajulatione illa (quam falce praecinctus praestitit) victori portando debuerat cavere. Coeterum si revera nulla illi cogitatio de tali periculo tunc occurrit, & nullatenus praevидit, in foro conscientiae ab irregularitate poenali immunis erat. Et juxta datam responsionem exponendum est c. scilicet, & c. Literis h. t. ubi irregularitas propter abortum, ex lusu cum muliere praegnantem fecutum, decernitur, non quod lusus inhonestus, sed noxius, & periculosus fuerit, periculo praevisto, quin debita diligentia illud cavendi adhibita fuerit.

901 Not. 5. quando Clericis, qui sunt in Sacris, & Religiosis imponitur irregularitas propter mortem secutam ex eo, quod exercuerint artem chirurgicam, vel medicam, incidendo, mutilando, adurendo, &c. licet omnem diligentiam adhibuerint, ut habetur c. sententiam, ne Clerici, vel Monachi; & c. Tua nos, de homicidio, irregularitatem esse ex delicto, commissio contra specialem prohibitionem illis factam loc. cit. ne ipsi extra urgentem necessitatem per seipso tales actiones exercent, suo statu indignas, & per se periculosas. V. Layman l. 3. summae t. 5. r. 3. p. 3. c. 10. Abbas in cit. c. Tua nos, & alii.

902 Not. 6. qui aliunde determinato ad Titium occidendum, consuleret, ut solum mutiler, non peccaturum, consequenter non incursum irregularitatem ex delicto, seu concursu per consilium. Nam consulere, ne mutilans, suo impulsu, ultra mutilationem progrediatur, est in re impedire

Tom. V.

gravius malum, quod honestum est. His praemissis:

§. 1.

De dispensatione in irregularitate ex delicto.

Non est dubium, summum Pontificem 903 dispensare posse in omni irregularitate proveniente ex homicidio voluntario, etiam notorio (omnis enim irregularitas jure solum humano inducta est) quandoque tamen non sine difficultate; cum abominabile sit, quod effundens sanguinem humanum (virum enim sanguinum abominatur Dominus) offerat sanguinem Christi, & hostiam immaculatam. Hoc non obstante pluries justis de causis dispensatum est etiam in ejusmodi casibus, ut notat Felinus, in c. final. de majoritate, & obedientia. Cum igitur ejusmodi dispensatio impetranda est, complura observanda esse, doceant Curiales, ut videri potest apud Pyrrhum Corradum in Praxi dispensat. Apostolic. l. 5. c. 1.

Primum est, ut in hujus dispensationis 904 petitione clare qualitas homicidii exprimat. Magna quippe differentia ex eo capite quoad concessionis facilitatem, aut difficultatem, quoad causas dispensandi, & similia, esse solet. Quare in supplicatione exponendum venit, an homicidium sit voluntarium; seu ex proposito, seu casuale? an simplex, an qualificatum, an defensivum, seu necessarium, cum, vel sine moderamine inculpata tutele? &c. Et quamvis Corradus cit. c. 1. n. 5. ex Mandosio in praxi Signat. titulo de absolutione, & rehab. ab homicidio, dicat, solere etiam magnopere attendi tempus perpetrati delicti, an sit recens, vel antiquum (quod in illo difficilius; ac in isto sit dispensatio) an sub hoc, a quo petitur dispensatio, vel alio summo Pontifice homicidium commissum sit, quod difficilius dispensetur, si sub illius Pontificatu patratum fuerit: id tamen non est de necessitate medii. Dispensatur tamen facilius cum jam promotus, quam cum primum promovendo; sic glossa per textum c. quicumque penitentes, dist. 50. arg. c. Quemadmodum, de jurejurando.

Not. praeterea juxta Sayrum de confess. 905 l. 6. c. 15. n. 9. quod dubius, an commiserit homicidium? debeat se habere tanquam irregularem; causam reddit Corradus cit.

Bb

n. 9.

n.9. quia *in dubiis tutior pars eligenda est*; ut, cum foetum expulit per abortionem, & dubitat, an fuerit animatus? sed hæc regula non procedit, prout jacet, ut diximus l. i. tit. 2. de Constitut. Videtur tamen id, quod Sayrus docet, tenendum ex eo, quod graviter illicitum sit, recipere Ordines cum tali dubio, eo non sublato per dispensationem ad cautelam, vel declarationem irregularitatis non incurfæ; alias enim, ut testatur Majolus l. 5. de irregularit. c. 48. severe puniretur; quia lex inhabilem excludens ab ordinibus, contra dubium de suo habilitate, est in certa possessione.

906 Dices: irregularitas non contrahitur, nisi in casibus jure expressis, juxta communem; & tamen in c. *ad audientiam* 1. de homicidio habetur, censendum esse irregularem cum, qui de irregularitate dubius est; quoniam in dubiis tutior pars eligenda est, juxta c. *significasti*, eodem. Ex quibus deducit Corradus cit. l. 5. c. 1. num. 24. prædictum textum procedere solum in foro conscientie; & alterum in foro contentioso; consequenter taliter dubium, ubi recurrere vult pro dispensatione, id agere debere in sacra Poenitentia; cum Dataria id raro concedat. Verum

907 *sc.* dictum illud: quod irregularitas non contrahatur, nisi in casibus in jure expressis, debere intelligi pro foro judiciali, & exteriori, nimirum, quod Judex non debeat aliquem in dubio judicare irregularem, prohibendo ei ordinem susceptionem, vel susceptorum executionem, nisi ei constet de casu, cui dispositione juris irregularitas annexa sit; quod autem dicitur in c. *ad audientiam*, debere accipi pro foro conscientie, solum tunc procedit, quando dubium non potest prudenter deponere. Nam in tali casu, & non aliàs, subintrat regula, quod in dubiis tutior pars eligenda sit, ut exposuimus l. i. tit. 2. Qualiter autem id rectè fiat, colligi potest ex dictis ibidem.

908 Quamvis autem exter. constitutio Sixti V. incipiens: *Cum de omnibus*, in qua dicitur: *omnes autem, & quoscunque criminosos, vel suspectos, &c.* Ad Religionem perpetuò inhabiles declaramus; adhuc tamen eà constitutione non obstante per sacram Poenitentiam dispensatur cum talibus, quando ad suorum peccatorum poenitentiam peragendam in Religione, licentiam ingrediendi petunt, & in ea suscipiendi ordines. Ita Corradus cit. n. 26. & nota, Sixtum loqui de cri-

minos, quales non videntur rectè dici ex actu unico. Plura de his cit. Author. Et quoniam nullus Papà inferior in ejus lege, jure ordinario dispensare potest, nullus quoque jure ordinario poterit in ea irregularitate, nisi sit ex delicto occulto, ut jam diximus.

§. 2.

De dispensatione in irregularitate ex homicidio citra delictum.

Hæc irregularitas contrahitur ex homicidio, vel mutilatione, justitiâ mediante, nimirum factò ex autoritate publica. Nam & tale homicidium, vel mutilatio, impedimentum irregularitatis inducit, impeditque promovendos, jamque promotos rejicit, per textum in c. *sententiam sanguinis*, ne Clerici, vel Monachi, & c. 1. diff. 51. Circa hanc irregularitatem quæstio est, 1. an incurratur à Judice, vel aliis justitiæ ministris, si quem justò condemnarunt ad mortem, vel mutilationem, morte tamen non secutâ, nec mutilatione? Affirmativam tenet Pyrrhus Corradus, sæpè cit. l. 5. c. 2. sed rectius negatur cum Ciarlino tom. 2. controvers. forensium, c. 103. per totum. Nam hæc irregularitas solum imponitur homicidio, vel mutilationi ex autoritate publica commissa, quod utique importat occisionem, vel mutilationem, vel mandatum, vel decretum definitivum, effectu secuto; aliàs enim homicidium, vel mutilatio non est. Nec rationes Corradi evincunt intentum. Nam licet verum sit, sæpè fieri, quod non stet per Judicem, & alios justitiæ Ministros, ipsorum sententiam habere simul effectum (cum sæpè Principis autoritate, vel alio titulo Reus ad mortem condemnatus, gratiam poenæ condonativam obtineat) ex hoc tamen non sequitur, Judicem, ac ejus assessores, aliosque justitiæ Ministros, commisisse homicidium, vel mutilationem, effectu secuto. Nam licet hæc irregularitas non sit inhabilitas poenalis, sicut nec poenalis est inhabilitas validè contrahendi matrimonium simpliciter clandestinè; hæc tamen invaliditas, seu nullitas matrimonii non incurritur à contrahentibus, si per accidens impediatur clandestinitas (puta si revera Parochus, & testes ipsis non opinantibus, aut etiam invitis interveniant) ergo nec irregularitas ex justa condemnatione ad mortem, si hæc per

per accidens impediatur, quia scilicet ea inhabilitas requirit factum cum effectu.

910 Nec juvat, quod dicat esse consuetudinem petendi dispensationem Apostolicam in eiusmodi etiam casu, ubi Judex Reum ad mortem condemnavit, licet mors secuta non sit. Nam dato, esse talem consuetudinem; non ramen probat eam esse inductam *communi consensione, & animo inducendi legem*, sine quo non habet vim legis non scriptae, ut diximus l. 1. tit. de consuetudine. Nam Ciarlinus cit. testatur, se scire, tales Justitiae Ministros esse ordinaros, nullam dispensationem petita. Neque aliquorum factum, qui tali casu recurrerunt Romam, est ex necessitate, sed solum ad cautelam, vel declarationem, ad evitandas opiniones, & tollendos scrupulos eorum, qui nesciunt, aut nolunt acquiescere.

911 Nec denique ad rem facit, quod asserit Corradus, *id esse de stylo*. Nam nec iste habet vim legis, nisi autoritate summi Pontificis probatus sit, & confirmatus, ut constat ex dict. alibi: cum plura solum voluntate Curialium dicantur de stylo, non autoritate Papae; ut pluribus ostenditur l. 4. decret. Curiales enim non sunt conditores legum, nec ad id, ratione muneris sui, potestatem habent; sed potius obligationem operandi juxta legem a Superiore, summo nimirum Pontifice, constitutam in suis functionibus; stylus autem, seu consuetudo juxta legem, nec habet vim inducendi legem novam, nec abrogandi, sed tantum firmandi praesistentem, ut constat ex l. 1. decret. tit. 2. Ubi etiam ex professo egimus de stylo Curiae; quibus positis:

912 *Quaestio est 1. an in tali casu, quo effectu non secuto, juxta Corradi, aliorumque sententiam, incurreretur irregularitas, necessario recurrentum sit Romam pro di-*

spensatione? Affirmativam sequitur Corradus cit. n. 4. sed probabilius est, non fore necessarium; ita Mandos. cit. in Praxi, tit. de absolut. & rehabit. Verf. *an autem Advocatus*. 1. Quia probabilius est, non incurri irregularitatem, consequenter non esse opus ea dispensatione. 2. Quia in dubiis, dispensatio ad cautelam dari potest etiam ab Ordinario, ut diximus l. 1. quaest. ult. tit. 1.

Quaestio est 2. an exercentes artem 913 Medicinae, vel chyrurgiae incurrant irregularitatem ex defectu lenitatis, si ex artis suae exercitio sequatur mors, vel mutilatio eorum, quibus impendunt operam suam? *Et cum distinctione*: nam vel in dato casu impenderunt omnem cautelam, & diligentiam, ne talis effectus sequeretur, sic, ut in adhibenda opera sua nec latam culpam commiserint, vel secus? Si primum? nullam incurrerunt irregularitatem. *Non ex delicto*; quia supponitur abesse culpa, quam supponit irregularitas ex delicto: *non ex defectu lenitatis*; quia hi non agunt autoritate publica. Unde quando exercentes artem medicam, vel chirurgicam, rejiciuntur ab ordinibus, si aliquis ex eorum cura decessit, intelligitur, quando imperitia, vel negligentia potest illis imputari, in ipsa suae artis scientia opportunè adhibenda, ut colligitur ex c. *ad aures*, de aetate, & qualitate. Sic Corradus cit. à n. 8. Ex quo colligitur, ubi effectus mortis secutus est ex eorum opera, vel cura cum culpa ex imperitia, vel negligentia, quin talem effectum intenderint, adeoque ubi secutus est praeter eorum intentionem, irregularitatem non esse ex homicidio *voluntario, & justo, sed casuali*; consequenter reduci eam ad irregularitatem ex delicto; Unde in quaestione: quis dispensare possit in hac irregularitate? *resolutio petenda est ex dictis* *supr.*

